



**Theologiae Moralis Sacramentalis Ad Instructionem
Ordinandorum & Curandorum Ex Materia De Sacramentis
In Genere Et Ordinis Eucharistiae, Poenitentiae, Ac
Matrimonii In Specie**

De Matrimonij Sacramento, & omnibus Peccatis contra VI. praeceptum, ac
de Abortu

Sporer, Patritius

Salisburgi, 1711

Sectio IV. De Matrimonio Rato, ut Sacramentum est, ejusque Solemnitate,
& Indissolubilitate.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55333)

gelo tantæ Prolis conceptionem annuntians
quæsit: *quomodo fiet illud, quoniam virum
non cognosco.* Quare Castissima Virgo à voti sui
violatione secura, volente & præcipiente Deo,
in conjugium consensit, sed in ejus actualem
suum simpliciter & directè consensit nunquam.
Qua de re Gratianus *toto C. Beata. 27. quæst. 2.*
Magister in 4. d. 30. & ibidem D. Thomas, Sec-
undus, Durandus, Henricus. alii ac late & optime
Suarez, part. 3. tomo 2. disp. 7. sect. 1. Valquez
part. 3. tomo 2. disp. 127. c. 6. num. 8. Perez
disp. 13. sect. 8.

SECTIO IV.

*De Matrimonio rato ut Sacramentum est
ejusque solemnitate & indissolubilitate.*

SUMMARIUM.

- 346. Matrimonium ut Sacramentum quid?
- 350. Materia ejus sunt corpora, & forma verba contrahentium.
- 354. Ministri sunt ipsimet contrahentes.
- 356. An ratio Sacramenti valde possit separari à contractu à fidelibus?
- 358. Ad valorem requiritur assistentia Parochi, & duorum vel trium testium.
- 359. Qualis Parochus requiratur?
- 360. Aut hic intelligatur:
- 363. Quis alius de licentia Parochi assistere possit?
- 365. Que licentia ad id sufficiat?
- 366. An etiam per vim vel metum exorsa?
- 367. Licentia Parochi etiam necessaria est Confessorum pro copulando moribundo.
- 368. Quales requirantur testes?
- 373. Qualis presentia Parochi & testium?

374. Necesse non est, ut adsint voluntarii?
 375. Aut ad id vocati, vel rogati, modo intelligant, quid agatur.
 377. Tres denuntiationes prae mittende sunt,
 378. Ex praecepto tantum.
 379. Conscijs alicujus impedimenti inter sponsoz tenetur illud manifestare sub mortali per se loquendo.
 380. Qualiter & cui id intimandum?
 382. Solvitur casus.
 383. Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans.
 384. Et triplex bonum essentielle Matrimonii, Fidei, Pro-
 lis & indissolubilitatis.

ASSERTIO.

Matrimonium in lege nova inter fideles sen-
 baptizatos est Sacramentum à Christo in-
 stitutum. 345
 Materia sunt corpora conjugum mu-
 tuo tradenda. Forma sunt verba contrahentium
 consensum legitimum exprimentia. Ministri pro-
 prie sunt ipsi contrahentes. Solemnitas jure novo
 requisita ad valorem est praesentia Parochi pro-
 prii, & duorum vel trium testium praemissis de
 praecepto tribus denuntiationibus. Effectus est
 gratia sanctificans, & triplex bonum essentielle,
 scilicet fidei, prolis, & Sacramenti indissolubi-
 litatis. Est tota partim certa de fide, partim Com-
 munis DD. ut patebit.

§. I.

Est Sacramentum à Christo institutum.

Certum de fide. Definitum in variis Con-
 ciliis, & novissime in Tridentino sess. 4. 346
 can. 1. Si quis dixerit matrimonium non esse ve-
 ri ac proprie unum ex septem Sacramentis Legis
 Evan-

Evangelica a Christo Domino institutum, sed de hominibus in Ecclesia inventum: neque gratiam conferre: anathema sit. Et quamvis (ut varii contendunt) id claro Scripturæ textu convinci non possit, sufficere omnino debet traditio Ecclesiæ, de qua testatur Tridentinum ibidem c. 1. dicens. Cum igitur matrimonium Lege Evangelica veteribus connubis per Christi gratiam præstetur, rito inter nova Leges Sacramenta enumerandum. Sancti Patres Nostræ, Concilia, & universales Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Sic Concilium addens, id innuere Apostolum mox citandum.

Probatum communiter. 1. Ex Apostolo ad *Ephes. 5.* Ubi cum dixisset: *viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Mox subiungit de Matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Hæc Apostolus. Cum igitur Christus instituerit, ut per matrimonium propter unionem & mutuam conjugum dilectionem significaretur spiritualis unio: & dilectio, quæ est inter Christum & Ecclesiam convenienter sequitur, etiam eum instituisse, ut matrimonium contrahentibus spiritualis gratia conferatur, sine qua recta & debita animorum conjunctio consistere nequit. 2. Christus etiam *Matth. 5. & 19.* matrimonium ad primævam originem revocans, unius cum una perpetuum & indissolubile corporum ac animorum vinculum præcepit, repetens verba *Genes. 2.* *Erant duo in carne una,*

quod Deus conjunxit, homo non separet. Esset autem jugum in nova lege (semper persistendi cum conjugē etiam sterili, morbida, &c.) valde grave, nisi idem Christus Dominus gratiæ promissionem annexuisset ad onera matrimoni sustinenda, mutuum amorem fovendum, concupiscentiæ fomitem mitigandum, liberos in cultu Dei educandos, &c. 3. Apostolus 1. ad Corin. 7. permittit in certo casu dissolutionem matrimoni fidelis cum infideli; ut infra patebit. Sed fidelibus ita loquitur. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit (ex quacunque causa) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hujus autem discriminis causa assignari non posse videtur, nisi quod matrimonium fidelium ratione Sacramenti majorem ex Christi institutione firmitatem obtineat. 4. Accedit consensus antiquorum Sanctorum Patrum apud Bellarmin. Layman, alios passim. At, quandoam Christus hoc Sacramentum instituit, seu quando matrimoni contractum elevavit ad dignitatem Sacramenti? R. cum Scoto in 4. d. 26. num. 13. Sanchez hic, & aliis communius: id verisimilius fecisse tunc, quando dixit Math. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quia ibi, Christus renovat matrimoni indissolubilitatem, ideoque congruebat, ut simul adderet rationem Sacramenti. Certè in Evangelio locus opportunior non reperitur. Nunc aliqui termini explicandi sunt.

347 I. Dixi: *in lege nova*: etsi enim matrimonium ex primâ sui institutione per formationem unius viraginis Evæ de corpore Adami, cui à Deo desponsata fuit, figura fuerit & sacrum signum Verbi Incarnati, ipsique desponsatæ Ecclesiæ unius Sanctæ, ut significatur c. *Gaudemus. de divortio.* non tamen fuit signum efficacietæ sanctificantis ex opere operato, adeoque neque Sacramentum propriè dictum: juxta communissimam Sententiam DD. ac Sanctorum Patrum: Nam *gratia & veritas per JESUM Christum facta est*, Joan. I. Et suprâ dixit Tridentinum: *Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia prestare.* Et Concilium Florentinum, matrimonium numerans inter Sacramenta novæ Legis docet, hæc differre à veteribus, quòd vetera non conferant gratiam.

348 II. Dixi: *inter fideles*, quod etiam notavit D. Augustin. de fide & operibus c. 7. dicens: *in civitate Domini in monte sancto ejus, in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Ratio est; quia infideles non baptizati, qui fidem Christi per Baptismum professi non sunt, nullius omnino Sacramenti capaces esse possunt. Sed dubitatur, an si fideles per dispensationem cum infideli v. g. catechumena contrahat matrimonium, adhuc sit sacramentum ex parte fidelis? Negant Henrigh. Angles. Sanchez, alii communiter cum Layman tract. 10. part. 2. c. 2. & certum putat

Castro-Palaus *disp. 2. punct. 2. hic*; eò quòd contractus matrimonii inter virum & foeminam unus sit, & unum Sacramentum significans unam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ideòque utraq; persona sacramenti particeps esse debeat; quemadmodum & utraque persona ad contrahendum habilis esse debet. Affirmant autem *Sotus, Cajetanus, Enckius, Aversa*: eosque sequens Herinx *disp. 2. quest. 2. num. 14.* eo quòd adhuc sit verus contractus matrimonii subjectatus in persona capaci sacramenti & gratiæ.

III. Dixi: matrimonium novæ Legis inter 349 fideles esse sacramentum *indistinctè*, adeòque etiam matrimonium contractum inter absentes per Procuratorem vel epistolam: juxta communem DD. apud citatos (contra *Cajetanium, Sylvestrum*, alios citt.) Ratio est; quia secundum Conciliorum indefinitam doctrinam, Christus matrimonium fidelium evexit ad dignitatem Sacramenti: matrimonium autem initum per Procuratorem vel epistolam inter absentes, sicut & inter præsentes per natus vel signa, est verum matrimonium: nec est apparens aliqua ratio, ob quam sit excipiendum à doctrina differentia Conciliorum. Ais: Ergone tunc absenti etiam dormienti confertur effectus Sacramenti? R. Omnino, si non adsit obex; sicut sensibus destituto confertur effectus extremæ unctionis. Unde debet contrahens conari, ut sit in statu gratiæ pro tempore, quo prudenter putat perficiendum fore contractum & Sacramentum cum

absente, quod si negligat, ex tunc peccabit ratione periculi, cui Sacramentum quoad suum effectum exponit. Ut præter alios bene notat Herincx cit. num. 15. in fine.

IV. Molestior quæstio: an in matrimonio fidelium ratio Sacramenti possit validè separari vel excludi à contractu per intentionem contrahentium: commodius expèdiatur §. 3. cum de ministris.

§. II.

Materia sunt corpora mutuò tradenda, forma sunt verba contrahentium consensum legitimum exprimentia.

350 **I**ta communiter & probabilior Sententia DD. S. Antoninus, Paludan, Socus, Adrian, Covarruv. Vasq. eosque sequens Layman. c. 2. num. 3. Basil. Pontius, aliisque citatis Herincx disp. 2. quæst. 3. tract. ultimo, n. 21. Ratio est, quia Christus contractui matrimonii naturæ suæ invariabili solum addit dignitatem Sacramenti: ergo materia Sacramenti hujus merito censetur eadem, quæ materia contractus: sed contractus matrimonialis materia utique sunt corpora contrahentium mutuò tradenda, (sicut materia cujuslibet contractus dicitur illa res, de qua contractus constituitur.) Forma autem contractus hujus est consensus sensibiliter expressus: ergo &c. Deinde negari non potest, quod conjugum mutua unione copulati sint externum sacrum symbolum spiritualis perpetuæ conjunctionis

inter Christum & Ecclesiam : ergo sunt pars Sacramenti, & utique materialis. Verba autem, quibus hæc ipsa maris & foeminae conjunctio expresse significatur, & inducitur, sunt pars Sacramenti formalis. Nec obstat, quod corpora contrahentium non sint materia, *ex qua* compositionis seu pars ipsius contractus matrimonialis ac Sacramentalis, sed solum materia *circa quam* verletur contractus ; siquidem eadem corpora, superveniente verborum conventionem, mox incipiunt esse ; & permanent sacrum materiale symbolum & gratia sanctificantis in fieri, & spiritualis conjunctionis Christi & Ecclesiae in fieri & facto esse semper : quemadmodum in artefactis lignum v. g. est materia circa quam artis fabrilis ; inducta autem forma statuae v. g. incipit esse, & permanet materia *ex qua*. Declaro amplius.

II. Matrimonium ergo est Sacramentum, non tantum in fieri, seu cum fit, (sicut Baptismus, Confirmatio &c. quæ in actione transiente consistunt) sed etiam est Sacramentum in facto esse, seu factum permanens, sicut Eucharistia : ac propterea sicut Sacramentum Eucharistiae in fieri præter formam consecrationis non habet materiam ex qua, sed tantum materiam *circa quam*, panem & vinum, quorum species virtute consecrationis permanentes & Christum continentes, sunt & permanent materia *ex qua* Sacramenti Eucharistiae, & materiale symbolum refectionis spiritualis,

ira in Sacramento matrimonii, quatenus est in fieri, non est opus assignare materiam *ex qua* compositionis, sed corpora contrahentium, quæ tunc sunt materia *circa quam* contractus ex vi verborum conventionis mutue, in contractu matrimoniali mox fiunt, & permanet materia *ex qua* Sacramenti, & sacrum materiale symbolum, & gratiæ sanctificantis in fieri, & conjunctionis Christi cum Ecclesia in fieri, & facto esse: & accedente copula matrimoniali, etiam unio Verbi Divini cum natura humana. Ut alibi notatum. Utrum autem Sacramentum matrimonii simpliciter debeat dici Sacramentum in fieri, vel in facto esse? Quæstio esset de nomine: Placet distinguere: Quatenus præcisè est signum practicum efficax gratiæ sanctificantis matrimonialis, est Sacramentum in fieri: quatenus verò simul est Sacramentum mysticum, seu sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia aut Verbi Divini cum natura humana, est Sacramentum in facto esse ac permanens.

352 III. Nec obstat, quod in aliis Sacramentis materia Sacramenti distinguatur à ministro suscipiente; nam & in aliis Sacramentis Minister & suscipiens distinguuntur; non sic necessario in matrimonio: Et ratio est; quia cum matrimonii Sacramentum fundatum sit in contractu humano naturali, mirum non est, habere multa specialia; quæ in aliis Sacramentis non reperiuntur: & quia contractus ille matrimonii fit à viro

sect. IV. De Matrimonio ut Sacrament. est. 327

viro & fœmina per mutuam traditionem suorum propriorum corporum, minimè debet esse inconveniens, quòd sub diverso respectu sint suscipientes, & ministri, & Materia Sacramenti. Ministri sunt, quatenus verbis expressis dant inter se mutuam corporum potestatem. Suscipientes Sacramentum sunt, quatenus potestatem inter se acceptant, & accipiunt. Materia denique circa quam sunt corpora mutuo tradenda & acceptanda: eoque ipso rectè dicenda materia Sacramenti *ex qua*, quatenus accedente consensu mutuo per verba expressa Sacramentum matrimonii componunt.

IV. Hic modus explicandi hoc Sacramen-353

tum tanquàm cæteris expeditior mihi semper placuit: & certè nulla alia ratione melius & expeditius explicari potest materia & forma matrimonii inter tot sententias DD. conantium assignari materiam & formam hujus Sacramenti in fieri. Decem numerat Averfa *sect. 9. quest. 3.* Sex autem Sanchez *l. 2. disp. 5. num. 6.* hanc approbans; verba scilicet contrahentium esse sibi invicem materiam & formam: Materia sunt, quatenus exprimunt consensum mutue traditionis corporum; forma autem sunt eadem verba, quatenus exprimunt consensum mutue acceptionis eorundem corporum traditorum; traditio enim per illa signa vel verba expressa & sensibilis facta, cum sit inchoatus & imperfectus adhuc contractus, habet se per modum materię determinabilis & perfectibilis:

Acceptatio autem similiter facta sensibilis per verba, habet se ut forma perficiens & completum contractum. Sic *Sotus, Angles, Rodriqz, Belarmin, Suarez, Coninck*, alli cum *Sanchez*, & sequuntur *Tambur. tract. 5. c. 1. in fine*. *Goibat. cas. 10. n. 292.* & sibi non displicere fatetur *Layman cit. n. 4.* Neque mihi omnino displicet, si modo capere possem, 1. Quomodo sit salvetur dictum universale Concilii Florentini? *Sacramenta constare rebus velut materia, & verbis velut forma.* 2. Certè in aliis contractibus traditio non dicitur materia, & acceptatio forma. 3. Sic ad summum esset distinctio rationis inter materiam & formam hujus Sacramenti, cum mutua traditio re ipsa sit mutua acceptatio, & eo ipso, iisdemque verbis, quibus significat quis se tradere corpus suum alteri, etiam significat se acceptare traditionem mutuam alterius; sicut e contra eo ipso quo alter significat se acceptare corpus alterius, etiam significat se vicissim tradere suum corpus. 4. Denique vix potest intelligi, nedum esse, mutua traditio sine mutua acceptance: & utrumque æque primò constituit essentiam matrimonii: quomodo ergò unum sit materia respectu alterius, alterum forma in composito per accidens & artificiali? Fateor me non satis capere: vide, an capias tu.

Ministri proprii sunt ipsi contrahentes.

Est jam certa & communissima Senten-
tia DD. cum Sanchez l. 2. disp. 6. Bellar-
mino l. 1. De Matrimon. c. 6. & sequentibus: te-
merarium censente contrariam sententiam;
Melchioris Cami, Estii, Sylvestri. & quorundam
aliorum existimantium, Ministrum esse Sacer-
dotem, & ejusdem verba formam; verba autem
contrahentium esse materiam (Qui proinde sine
Ministro Sacerdote contrahentes conficiant
contractum civilem tantum, & non Sacramen-
tum Matrimonii.) Ratio à priori est; quia
Christus instituit hoc Sacramentum juxta natu-
ram ipsius contractus, addiditque rationem Sa-
cramenti ipsi naturali contractui matrimonii:
& Concilia absolute definiunt matrimonium
esse Sacramentum, non plus requirunt ad sub-
stantiam Sacramenti, quam requiratur ad veri-
tatem contractus matrimonii: & specialiter
Concilium Florentinum in Decreto unionis
singulis Sacramenti essentiam & Ministrum
accurate assignans, cum dixisset: *Septimum est
Sacramentum Matrimonii:* Subdit: *Causa ef-
ficiens matrimonii est mutus consensus per ver-
ba de presenti expressus.* in quo totam essentiam
& ministerium ponit: ergo idem debet esse Mi-
nister Sacramenti Matrimonii, qui est Minister
seu causa efficiens contractus: atqui Ministri,
qui efficiunt contractum, sine dubio sunt ipsi
contrahentes, seu qui contrahunt, & obligatio-
nem

nem in se mutuam suscipiunt : ergò iidem quæque sunt Ministri Sacramenti ; & certè ille est Minister cujuslibet Sacramenti, qui profert verborum formam , quibus Sacramentum conficitur : atqui ipsi contrahentes proferunt (sive immediate per se , sive mediatè per Procuratorem , &c.) verborum formam , ut supra ostensum : ergò illi tantum sunt Ministri proprii hujus Sacramenti. Parochus ergò seu Sacerdos assistens cum testibus, etsi improprie & accidentaliter Minister dici possit, quatenus confirmat, ratamque habet illam contrahentium traditionem & acceptionem (quo sensu ex præcepto Concilii Tridentini dicit : *Ego vos conjungo*, &c. id est : Ego vos conjunctos declaro, confirmo, benedico nomine & Autoritate Ecclesiæ, &c.) Attamen simpliciter & proprie minister Sacramenti nullo modo dici potest ; nam & olim matrimonia sine Parocho contracta fuerunt valida : ut omnes fatentur : & adhuc modo sunt valida in locis, ubi non est receptum Concilium Tridentinum, vel in locis hæreticorum, in quibus nullus est Parochus, vel non datur ad eorum tutum accessus ; non potest autem confici Sacramentum sine suo proprio Ministro. Ejus ergò, sicut & testium præsentia & assistentia solum requiritur tanquam conditio necessaria ad valorem Sacramenti : neque is profert formam necessariam Sacramenti ; sed etiamsi nihil omnino diceret, imò etsi positivè contradiceret, adhuc validum foret matrimonium : ut parebit.

Neque

Neque requiritur in eo aliqua intentio, nec status gratiae ad assistendum.

II. Nec obstat, vel absurdum videri debet 355

quòd hoc Sacramentum ob specialem rationem contractus exigat duplicem Ministrum partialem; & Laicos & foeminas esse Ministros hujus Sacramenti, idque absque alia caeremonia sacra; sicut non est absurdum contractum Matrimonii à Christo esse elevatum ad dignitatem Sacramenti; & sic elevatus à Christo, & debita intentione celebratus, nam & ipse est caeremonia sacra. At, inquis, si contrahentes sunt Ministri, debebunt habere intentionem non solum contrahendi matrimonium, sed etiam conficiendi Sacramentum: hanc plerique non habent, quia de hoc nihil sciunt, vel certè non cogitant: ergo, &c. R. Illos sufficienter habere hanc intentionem virtualem, saltem implicitam & confusam dum volunt matrimonium inire more Christiano, seu facere, quod fideles faciunt; quod omnino sufficit, sicut & in aliis Sacramentis: Si tamen alicui deesset intentio sufficiens ad consecrationem Sacramenti certè non subsisteret Sacramentum: An verò adhuc tunc subsisteret matrimonium in ratione contractus, mox audies inferius. Ais iterum: Si contrahentes sunt ministri simul & suscipientes hujus Sacramenti: ergò si in statu peccati mortalis contrahant, bis peccabunt mortaliter, imò ter, si alteri quoque existenti in mortali hoc Sacramentum ministraret. R. Fortè sic; Nam I. certum est, peccare mortaliter

liter ex eo, quod in malo statu suscipiant, cum matrimonium sit Sacramentum vivorum; omne autem Sacramentum vivorum præsupponat statum gratiæ, quæ ipsa est vita spiritualis animæ. 2. *Navarrus*, ceteri & alii apud *Sanchez*, citatum putant, etiam peccare mortaliter ex eo, quod indignè ministrent, quippe qui conficiant & conferant hoc Sacramentum ex officio & ad hoc deputati. Sed hoc negat communis DD. cum *Sanchez* l. 2. disp. 6. num. 4. & non alibi. Quia conjuges, etsi sint ministri ad hoc deputati, non tamen sunt ministri specialiter consecrati ad hoc Sacramentum ministrandum; etsi fatendum sit, opinionem *Navari* esse admodum probabilem. 3. Etiam scienter alteri indigno ministrans, si ejus peccatum facile impedire posset, peccare, sine causa cooperando peccato alterius. Res nota est ex materia de Charitate & scandalo. Tandem ex hoc ipso, quod contrahentes sint ministri hujus Sacramenti.

356 III. Hic incidit quæstio difficilis: An inter fideles per intentionem contrahentium possit ratio Sacramenti validè separari à contractu matrimonii, sic, ut fidelis possit validè inire matrimonium solum ut contractum, non verò ut Sacramentum est? Dux sunt oppositæ sententiæ gravissimorum utrinque DD. Prima sententia simpliciter negat: Ita *Suarez*, *Coninck*, & plurimis congestis *Sanchez* l. 2. disp. 10. *Tanner*. disp. 8. quæst. 5. dub. 5. *Layman*. rr. 10. part. 2. c. 2. 2.

num. 2. Lugo disp. 14. De Pœnitenti. num. 42.
 Bonacina quest. 2. De Matrimon. Propos. 5. Bas-
 fil. Pontius l. i. c. 9. num. 3. & mordicus Averfa-
 hic. quest. 1. Sect. 5. dicens: decere constans esse
 quod non. Ratio (an potius conjectura) datur.
 Quod Christus Dominus ita contractui conne-
 xerit rationem Sacramenti, ut, quamvis posi-
 tio contractus pendeat à voluntate fidelium,
 eo tamen posito, non pendeat à voluntate fide-
 lium ratio Sacramenti, sed eo ipso, quod con-
 tractus ejusmodi legitime ponatur, statim ex
 Christi institutione ei adhæret ratio Sacramenti.
 Quare infert Layman: *Quicumque ex baptizati-
 is verè matrimonium contrahere volunt, etiam
 virtualiter Sacramentum accipere volunt, con-
 tra verò, si nollent, absolute loquendo, Sacramen-
 tum suscipere, consequens esset, ut neque matri-
 monium contrahere intenderunt: ideo quo contra-
 ctus irritus esset. Ut Sanchez notavit cit. Dico:
 Si absolute nollent. Propter hæreticos, qui nolunt
 suscipere Sacramentum ex hypothesis erroris spe-
 culativi, quo falso existimant, non esse Sacra-
 mentum; interim volentes matrimonium contra-
 here, sicut fideles solent, & in Ecclesia Christi con-
 suetum est. Hæc Layman sapienter. Huic sen-
 tentiæ libens accederem, si firmiori rationi in-
 nitèretur. Altera sententia affirmat simpliciter,
 id validè fieri posse, etsi minimè licitè. Ita Du-
 rand. Victoria, Cajetanus, Vasqu. Rebellus, a-
 liisque congestis Perez Disp. 19. Sect. 10. fusè
 Hurtad. Disp. 3. De Matrimon. diff. 10. Diana
 part.*

part. 3. tract. 4. resol. 255. Dicastil. dub. 19.
 disp. 2. Tambur. tract. 5. c. 1. num. 6. & pro-
 babiliorē censent Herincx disp. 2. quest. 3.
 num. 17. cum Gobat tract. 9. cas. 11. num. 228.
 Ratio solidior est, quia illa inseparabilitas nullo
 solido fundamento nititur; mutatio enim non
 praesumitur, sed probari debet; esset autem val-
 de à Christo mutatus contractus matrimonii,
 in veteri Lege potuit valide celebrari sine Sacra-
 mento, in nova autem Lege non posset: Neque
 Christus sua institutione annullavit contractum
 aliud validum, sed ei in natura sua invariato so-
 lum addidit dignitatem Sacramenti: Cum er-
 go cujuscunque Sacramenti confectio pendeat
 ab intentione ministri volentis illud conficere:
 sicut posset quis (etsi illicite) abluere puerum
 & formam Baptismi proferre, nolens tamen il-
 lum defacto baptizare: quo casu certe nullum
 Sacramentum conficeretur: ita sanè poterit
 quis velle contractum matrimonii inire simpli-
 citer validum eo modo, quo olim Abraham cum
 Sara, Cicero cum Terentia, & tamen nolle con-
 ficere vel accipere Sacramentum. Quo casu
 contractus civilis fuit validus, nullum tamen co-
 nit Sacramentum: atqui testatur Pontius cit. id
 observari ab Inquisitoribus cum Christianis ju-
 daizantibus in Portugalia ac Lusitania, qui so-
 lent prius secretò contrahere, ut postea coram
 Parocho certiùs rationem Sacramenti exclu-
 dant, quorum tamen sic contrahentium matri-
 monium nunquam invalidum judicat. Fateor
 hanc

hanc sententiam priori esse probabiliorem. Jam quoad praxim, & de facto.

IV. Certum est primò : Non posse licitè sic 357
separari à contractu matrimonii rationem Sacramenti à Christo instituti, sed peccare mortaliter fideles baptizatos, si velint matrimonium contrahere separando rationem Sacramenti : æquè ac si quis abluens infantem serio proferret formam, nolens tamen conficere Sacramentum. Juxta communissimam DD. apud cit. Ratio est ; quia utroque casu irritatur, & falsificatur actio Sacramentalis à Christo instituta. Et Christus contractum matrimonii elevans ad dignitatem Sacramenti sine dubio sic voluit matrimonium contrahi à fidelibus. Constat denique ex communi sensu, usúque fidelium, ipsiusque Ecclesiæ, quæ idcirco in contractu requirit statum gratiæ. Certum est 2. Catholicos non separare ; nam ex Catechismo norunt, matrimonium esse Sacramentum, & moneantur à Parochis, ut se confessione præmissa præparent ad nuptias, tanquam ad Sacramentum suscipiendum. 3. Certum etiam videtur, plerumque non separare hæreticos, qui non credunt matrimonium esse Sacramentum, & proindè etiam dicunt, se nihil velle habere negotii cum Papistico Sacramento in suo matrimonio contrahendo. Nihilominus tamen pleròsque eorum re ipsa recipere Sacramentum, si nullum aliud impedimentum intervenerit, indicavit

dicatur Layman modò suprà, & cum aliis bene probat Perez *disp. 19. Sect. 3. num. 3.* & Gobat *cas. 11. & num. 234.* Ratio sumitur ex communi doctrina de Sacramentis in genere; quia error privatus, quo quis existimat, matrimonium non esse Sacramentum, & ideo intendit non facere Sacramentum, nihil planè obstat Sacramento, dummodò is habeat intentionem generalem faciendi eo modo, quo Christus instituit vel fieri voluit, quo verà Ecclesia, vel verè fideles faciunt &c. Atqui certum est, plerosque hæreticos, Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos habere illam intentionem generalem, scilicet contrahendi matrimonium more Christiano, quo Christus instituit, quo suos fideles contrahere voluit: ut experientia patuit in omnibus ad fidem Catholicam converſis; & palam profitentur plerique interrogati: ergo ipsa, generali hac intentione prævalente privata erroneæ intentioni, non separant, sed verum Sacramentum conficiunt, & suscipiunt. 4. Probabilissimū tamen est; hæreticos etiam quādoque re ipsa separare: nam præter id, quod de Christianis judaizantibus Pontifex suprà, & De castillus testati sunt, certè nonnulli hæretici sunt ita profani, impii, & rerum divinarum contemptores, ut licet scirent, Christum præcepisse; ut matrimonium non ineatur, nisi cum intentione Sacramenti, hoc tamen præceptum non curarent, sicut multa alia, & præsertim, si sibi persuaderent, rationem Sacramenti in ma-

matrimonio esse radicem indissolubilitatis, multi mallent fidem permutare, judaica superstitione, vel turcica impietate, quam matrimonium contrahere indissolubiliter.

Quid ergo sentiendum de tali matrimonio cum exclusione Sacramenti contracto? Doctores primæ sententiæ dicent, matrimonium simpliciter esse nullum. At secundæ sententiæ Doctores concedent, esse contractum validum civilem, saltem si indissolubilitatem non excludat. Sed de hoc iterum aliquid in Subsectione.

§. IV.

Solemnitas ad valorem requisita est assistentia Parochi & duorum vel trium Testium

Textus Concilii Tridentini annullantis matrimonia clandestina, & ad validè contrahendum requirentis præsentiam Parochi & Testium jam *Sett. I. §. 5.* recitatus & explicatus est quoad necessitatem: Jam porro explicandus quoad qualitates ejusdem Parochi & Testium.

I. Qualis Parochus requiritur?

Parochus assistens matrimonio valido debet esse proprius, vel utriusque, vel saltem unius sponsorum; adeoque quando sponsus vel sponsa spectant ad diversas Parochias, poterunt contrahere in utralibet coram illius Parocho, secundum communissimam DD. & notam Declarationem Cardinalium. Quod si Parochus sponsi v. g. assistat in Parochia sponsæ sine licentia illius

Parochi valet quidem actus, ac matrimonium, secundum communem DD. At ex Decreto Pii V. apud Tanner. *hic disp. 8. quest. 3. num. 116.* puniendus est. Sicut & puniendus est (& secundum Tannerum ibidem *num. 120.* suspensionem incurrit Parochus, si utrumque sponsum suum Parochianum in aliena Parochia sine ejusdem Parochi licentia copulet. Atamen adhuc valere matrimonium, (contra Navar. nimis rigidè negantem cum quibusdam sequacibus) rectè affirmat communis DD. *Henric. Rodrig.* aliisque citt. *Sanchez l. 3. disp. 19. Layman part. 2. c. 4. num. 3. in fine. Perez, Dicastil. Barbosa. num. 429.* Ratio est; quia Concilium tantum requirit præsentiā Parochi, quæ jam habetur: neque enim hic agitur de jurisdictione contentiosa. Is verò, qui sponlos alienæ Parochiæ sine licentia proprii Parochi copulat, præterquàm, quòd matrimonium nullum sit, tamdiu suspensus est ab officio & beneficio Parochiali, donec absolvatur ab Episcopo Parochi, cujus jus invasit. Sic enim expressè decernit Tridentinum *Sess. 24. c. 1. De Reformat. Matrimon.* At, si Religiosus sit, incurrènt etiam excommunicationem Clementinæ, *De Privilegiis 2. c. 8.* Probabilissimè, quòd non; quia illam excommunicationem à Concilio Tridentino fuisse commutatam in suspensionem etiam, declaravit Congregatio Cardinalium, teste *Gallebart.* ad illum locum. Et certè ab utraque excusat omnis ignorantia etiam crassa; nam

& Clementia excommunicat, & Tridentinum suspendit illos solos, qui *presumpserint, vel ausu fuerint* copulare sponso alienæ Parochiæ, adeoque scientiam & malam fidem in eis requirunt. *Sanchez, Perez, Barbosa*, alii communiter, & DD. *De censuris*.

II. Proprius Parochus utique intelligitur respectu propriorum Parochianorum tantum, qui nimirum in sua Parochia aut domicilium habent, perpetuæ scilicet habitationis, aut quasi domicilium, scilicet majori vel saltem æquali anni parte ibi habitantes. Juxta dicta in simili de Sacramento Pœnitentiæ. Quare non valide assistet matrimonio illorum Parochus, qui in sua Parochia minori parte anni, uno aut duobus mensibus, negotii vel recreationis causâ commoratur. Minus, si solum pertranseat aut uno vel altero die subsistat contra *Pontium* & alios nimis laxè loquentes docet communis DD. & ex professo Lugo *Respons. moral. l. 1. dub. 37 Tambour. tract. 6. c. 2. §. 5. num. 11*. Ratio est, quia respectu istorum nullo sensu potest dici proprius Parochus. Vagabundorum autem, qui nullum alibi domicilium habent, matrimonio valide assistit Parochus loci, ubi degunt; imò secundum *Sanchez* & *Pontium* quilibet Parochus; ac non licitè, nisi prius ab Ordinario loci licentiam obtineat. Sic enim Tridentinum *Sess. 24. c. 6. De Reformat. matrimon.* præcipit Parochis, nè vagorum matrimoniis intersint, nisi diligentem inquisitionem fecerint; ne scilicet

impedimentum subfit, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerit. Sibi. Cæterum vagabundos ad hunc effectum censent DD. sponfos, etiam si unus tantum eorum vagus sit: aut si suum domicilium reliquerit animo alibi domicilium figendi, etiam non dum eò pervenerint.

- 361 III. Proprius Parochus sponforum intelligitur non tantum immediatus & propriè dictus Parochus eorundem Parochiæ, sed etiam medietus ac Superior eorum Ecclesiasticus pastor: etenim etiam proprius Episcopus vel alius Episcopali jurisdictione præditus, ejusdemq; in Spiritualibus Vicarius Genetalis: Item legatus Sedis Apostolicæ in sua Provincia, ad quam destinatus est: ac denique in omnium fidelium matrimoniis Summus Pontifex assistere, & assistendi licentiam dare potest; siquidem hi omnes nomine Ordinarii Pastoris veniunt, quibus addi debet Capitulum Sede vacante, cum succedat in jurisdictione Episcopi: ut ex jure & communi observat Layman cit. c. 4. num. 5. in fine. Item intelligitur Parochi vel Parochiæ Vicarius, etiam temporalis vel ad nutum amovibilis ut contra Pontium ac alios, cum plurimis docet Sanchez l. 3. disp. 21. Diana part. 12. tract. 3. resol. 35. Item Sacerdos non quidem verus Parochus, sed per errorem communem cum titulo colorato pro vero Parocho habitus: juxta dicta De Pœnitent. ex communissima DD. Item verus Parochus, et si non Sacerdos, matrimonio suorum assiste.

assistere, & alteri Sacerdoti assistendi licentiam dare potest: juxta communem DD, cum Sanchez *l. 3. disp. 20. Layman c. 4. num. 4.* & expressè Cardinalium Declaratio apud Dianam *part. 12. tract. 3. resol. 32.* imò etiam si nullo sacro Ordine initiatus vel insignitus adhuc esset. Tambur. *disp. 8. quest. 3. num. 175.* Barbosa *De Parocho num. 60.* Quia Concilium loquitur absolute de Parocho.

IV. Valida est assistentia etiam si Parochus sit 262

ab administratione interdictus, suspensus, excommunicatus, etiam non toleratus, v. g. notorius percussor Clerici, modò non sit actualiter depositus vel privatus, sed Beneficium actitulum, possessionemque Beneficii parochiani retineat. Communissima cum Sanchez *disp. 12. num. 4.* Coninck *disp. 27. num. 7.* Layman *c. 4. num. 5.* Ratio est; quia assistentia hæc non est actus jurisdictionis vel administrationis, cum etiam ab invito vel coacto validè præstari possit; sed est actus testimonii ex juris dispositione ad matrimonii substantiam requisitus: quamdiu ergo verus Parochus manet, matrimonio assistere aut auctoritatem præbere poterit; jam enim contrahitur matrimonium præsentè Parocho, servatâ proprietate verborum Tridentini, quæ utpote correctoria, strictè interpretanda sunt. Quin adhuc validè assistet matrimonio Parochus, licet Episcopus & justa ex causa interdixerit eam assistentiam respectu hujus aut illius matrimonii: non solum si interdixit simplici prohibitio-

ne, sed etiam si cum clausula irritante talem assistentiam; quia Episcopus non potest restringere, vel tollere potestatem jure communi Concilii Tridentini concessam Parochis. Ita cum aliis Sanchez l. 3. disp. 32. num. 2. Lugo l. 1. Resp. moral. dub. 45. referens. Congregationem Cardinalium monuisse quendam Episcopum, ut revocet suum edictum, quo edicebat, ut si Parochus assisteret matrimonii occultis domesticis, sine præviis de nuntiationibus, contractis, assistentia & matrimoniis essent invalida; quia nimirum tale præceptum dare non potuit; hoc enim esset condere novum impedimentum dirimens matrimonia; quod non cadit sub potestate Episcopi.

At Parochus talis interdictus, suspensus, excommunicatus, non toleratus poteritne etiam alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare? Nec vaide, nec licite dare, docent Ledesma, Henricus, Coninck, pluresque citans Sanchez l. 3. disp. 21. num. 7. Layman cit. num. 5. Ratio est; quia dare alteri licentiam, qua alius alioquin non idoneus, reddatur idoneus ad actus legitimum valorem, videtur esse actus & exercitium jurisdictionis, (etsi non pauci negent apud Dianam cit. resol. 33.) Et consequenter etiam Parochus non censuratus, attamen interdictus ab Episcopo cum clausula irritante, ne aliis licentiam assistendi tribuat, nec valide, nec licite eam licentiam tribuere poterit; ut cum aliis resolvit Diana cit. tract. 3. resol. 32. Etsi de hoc subdubitet Tamb. cit. c. 2. S. 3. num. 22.

II. Quis alius ex licentia Parochi.

Certè solus alius Sacerdos de licentia pro-
prij Parochi, (et si hic ipse Sacerdos non
sit; ut supra) validè matrimonio assistere potest:
juxta clara verba Tridentini: *Qui aliter, quam
presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Pa-
rochi licentia, &c.* Certè etiam omnis Sacerdos
validè assistet, etiam non approbatus, suspensus,
excommunicatus, irregularis, &c. eadem ra-
tione à fortiori, quàm supra da Parocho dictum.
Quare, si ipse Parochus excommunicatus non sit,
validè saltem semper poterit substituere alium
Sacerdotem, etiam excommunicatum, quam-
vis non toleratum, v. g. notorium percussorem
Clerici; quin & licitè in causa necessitatis; si Pa-
rochus ipse infirmus, vel tempore pestis assiste-
re non possit, nec alium Sacerdotem, quàm ta-
lem habere possit: ut ex *Chapeauville* notat Lay-
man cit. num. 5. post medium.

II. Licentia hæc assistendi voce vel scripto à
Parocho, cæterisque prædictis dari potest vel
particulariter, ad hoc certum matrimonium: vel
generaliter ad matrimonia quævis. Hanc ge-
neralem licentiam dare censetur, si dicat Pa-
rochus Sacerdoti v. g. do tibi licentiam admini-
strandi omnia Sacramenta in mea Parochia; quia
impropriè saltem hæc assistentia Sacerdotis est
administratio Sacramenti matrimonii. Ita ex
declaratione Cardinalium *Coninck, Pontius,
Castro-Palans*, eosque citans *Diana part. II.
tract. 3. resol. 32.* etsi de hoc dubitet *Aversa*,
Y 4 &

& rotundè negat *Hurtad.* apud *Tambur.* cit. 6. §. *num. 5.* requirens licentiam generalem ex-
cendi officium Parochi. At poteritne Sacerdos
v. g. hanc generalem à Parocho acceptam licen-
tiam assistendi matrimonio alteri subdelegare, ut
alicui matrimonio assistat? Concedunt multi, &
multi negant. *Diava* proximè cit. distinguit
posse in absentia Parochi: non verò posse in præ-
sentia; quia in absentia est delegatus ad univer-
salitatem causæ; non verò in præsentia Parochi.
Consentit *Gobat num. 487. in fine.* Nec ego
dissentio.

365 III. Non sufficere tacitam licentiam vel præ-
sumptionem de rati habitatione futura, omnes
clamant ob rationem datam in simili, in materia
de Pœnitentia. Sufficere autem tacitam de præ-
senti licentiam habitam scilicet per tolerantiam
Parochi videntis, & non prohibentis, cum pos-
set, docet communis DD. *Sanchez. Pontius,*
Castro-Palaus, & probabilius censet *Tambur.*
cit. *num. 5.* At simpliciter negant *Menoch.*
Henric. Barbof. ac *Tanner.* cit. *num. 120.* Et
certè non sufficere tacitam illam licentiam, sed
exigi commissionem generalem ministrandi
omnia Sacramenta, vel si hæc non adfit, specia-
lem & expressam, declaravit S. Congregatio
Cardinalium: ut testatur *Fagnanus, inc. quod*
nobis, de despons. impuber. Porro, quamvis
Parochus vel Ordinarius reverà licentiam dede-
rit antequam tamen ea Sacerdoti innotuit, hic
invalidè assistet; quia eam non habet, donec eam
acce-

Se&t. 11. De Matrimonio ut Sacram. est. 345
acceptet: acceptare autem legitime non potest,
dum eam datam esse ignorat. At, si dictus Sa-
cerdos per nuntium petiit à Parocho vel Vicario
Generali licentiam assistendi certo matrimonio,
validè ea utetur, quamprimum concessa est, etsi
eam concessam nondum intellexerit; quia per
illum nuntium jam illam acceptavit, Sanchez l.
3. disp. 37. *Coninck, Barbosa, Castro - Palaus*
apud Tambur. cit. num. 7. & Gobat num. 190.
contra *Pontium, Perez, & Dianam* cit. resol. 32.
Certè autem, antequam resciat licentiam peti-
tam esse concessam, non assistet licitè; quia sem-
per est periculum, ne licentiâ nondum fortè da-
tâ matrimonium fiat invalidum. Ut benè notat
Tambur. ibidem.

IV. Sufficit licentia per vim vel metum ex-366
torta; eo quòd probabiliter non sit actus jurisdi-
ctionis, secundum Sanchez & alios. Aut; quia
verius est, jurisdictionem metu extortam valere.
Castro-Palaus, Diana, Tambur. cit. Idem di-
cendum, si ficto & non vero animo dedit licen-
tiam Parochus; nam adest tunc titulus colora-
tus, scilicet licentia externè data, & communis ex-
ror putantium vero animo datam esse licentiam.
Sanchez cit. disp. 32. à num. 60. Aversa, alii
cum Tambur. §. 2. c. 3. num. 16. Insuper suf-
ficit licentia extorta per dolum versantem so-
lum circa causam impulsivam; ut si falsò dicas
tuo Parocho: meus Princeps vel Dominus Co-
mes rogat te, ut des mihi licentiam contrahen-
di coram tuo Capellano, Sanchez l. 3. disp. 39.
Y 5 num.

num. 14. *Diana, Perez, Tambur.* cit. alii communiter teste *Gohat* num. 489. At quid si Parochus post licentiam legitimè datam moriatur? & cum distinctione: si quidem licentia data sit ad assistendum alicui certo matrimonio & mortis parochi nota sit, invalidè assistet Sacerdos ille; quia delegatio data ad certum casum expirat morte concedentis; si autem mors Parochi nondum nota sit, adhuc validè assistet ob titulum coloratum & errorem communem. Simpliciter autem non expirat tua licentia generatim data assistendi matrimoniis quibusvis. Ita *Lugo Resp. moral. l. 1. dub. 35.* post *Sanchez l. 3. disp. 28. a num. 64.*

367 Petes hic incidenter: An licentia proprii Parochi etiam necessaria sit confessario v.g. pro moribundo, ut matrimonio sibi jungat concubinam occultam ad emendandum affectum concubinarium, ad legitimandam prolem, &c. & Omnino quòd sic; nam decretum illud Tridentini, ubi publicatum & receptum est, ita obligat, ut ne quidem in extremo agone, aut etiam intentato mortis metu possit validè contrahi sine Parocho (ejusve licentiâ) & testibus ob quamcunque causam: juxta communissimam DD. cum *Sanchez* cit. ac fusè probat *Barbosa de Parocho part. 2. c. 21. num. 31.* Ratio est; quia verba Tridentini sunt valdè clara & universalia, & inhabilitas ad contrahendum inducta per legem non tollitur per metum cujuscunque mali. Oppositum tamen probabile censent *Veracru.*
Vig.

Vega, alii apud *Caſtro-Palaum de ſponſ. diſp. 2. part. 13. §. 8.* & reſolutè docet *Amicus* apud *Dianam part. 10. tract. 12. reſol. 15.* latè defendens, poſſe ſine Parocho contrahi tunc ſingulariter à concubinario moribundo, quando, niſi per matrimonium legitimetur proles prius ſuſcepta in concubinato, Titii concubinarium hæreditas devolveretur ad hæreticos. Item poſſe clandestinè contrahi, quando quis minetur tibi mortem, niſi contrahas, & mox conſumes matrimonium; eò quod non videatur verosimile, Concilium Tridentinum ejuſmodi caſus urgentiſſimæ neceſſitatis ſuo decreto voluiſſe comprehendere: Ego cum *Diana* ibidem, & *Gobat caſ. 18. n. 477.* remitto deciſionem utriuſque caſus iudicio habentium juſ definiendi. Vide ergo Confeſſarie in caſu occurrente; ut tutiora & ſecuriora ſequaris, quoad potes.

III. *Quales teſtes.*

I. **E** Adem, ac tanta neceſſitate, quâ ad va-
lorem matrimonii requiritur præſentia Paro-
chi proprii, aut alterius Sacerdotis de ejus
licentiâ etiam requiritur præſentia duorum vel
trium teſtium, ex claro Textu Tridentini ſæpè al-
legati, *Seſſ. 24. c. De Reformat. matrim.* Cæte-
rum ab eadem S. Synodo non præſcribuntur ul-
la certæ qualitates eorum teſtium, neque ullum
genus hominum repellitur à teſtimonio hic di-
cendo, Et hinc comuniſſimo Theologorum
ac Canonistarum conſenſu

II. Teſtes idonei pro matrimonii valore repu-
tandi

gandi sunt omnes homines, quos jus naturale non arcet; hoc autem non arcet à testimonio dicendo, nisi illum, de quo certum, vel probabile, vel prudens timor est, quod non sit daturus, vel dare non possit verum testimonium: uti sunt ebrii, amentes, infantes, aut certe homo nullius fidei; ut si quis in iudicio perjurium commisit, nec probatur, se emendasse *c. Parvuli. 22. quest. 5.* Contra ergo

370 III. Testes idonei reputandi & admittendi sunt quicumque dare possunt, daturique creduntur verum testimonium, etiam si in aliis commerciis humanis jure communi repellantur à testando: utpotè etiam pueri impuberes, feminae, consanguinei, affines, parentes, liberi, servi, infames, excommunicati, infideles, &c. Communissima DD. cum Sanchez *l. 3. disp. 41.* Coninck. *disp. 27. dub. 4.* Layman. *c. 4. num. 6.* Ratio jam indicata est; quia constitutio Tridentini juris veteris correctiva non est extendenda ultra proprietatem verborum, quæ simpliciter testes, nullas autem qualitates testium exigit. Accedit, quod auctoritas Parochi suppleat aliorum testium defectum, præsertim accedente contrahentium, eum eligentium, consensu, quo etiam in aliis commerciis testes alioquin repellendi admitti possunt. Ut notant Layman, cit. & alii. Et hinc ulterius.

371 IV. Si de matrimonii valore postea in iudicio lis moveatur ordinariè sufficere tales testes ad reigestæ fidem faciendam, cum ad eum finem primò adhibiti & admissi sint, meritò docet Sanchez

Sess. IV. De Matrimonio ut Sacramen. est. 349
ehez cit. num. 6. & Layman num. 6. in fine. Di-
co tamen ordinariè; nam ad probandum matri-
monii contracti nullitatem, ut illud dissolvi, seu
invalidum pronuntiari possit, testes requiri omni
exceptione majores, rectè monent DD. passim. 372

Quoad pœnas Parochi & testium ut statuit
Tridentinum *Sess. 24. c. 1. De reformat. Matrimo-*
monii. Sacra synodus Parochum vel alium Sa-
cerdotem, qui cum minore testium numero (ut-
potè uno vel nullo) & testes, qui sine Parocho vel
Sacerdote hujusmodi contractui interfuerunt;
nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Or-
dinarii puniri precipit. Hæc Concilium. Per
hujus pœnæ arbitriæ ab Ordinario infligendæ
sententiam sublatae esse pœnas graviore juris
antiqui: utpotè suspensionem triennalem (c. Fi-
nali. De Clandest. desponsat.) latam in Sacer-
dotem sine aliis testibus assistentem matrimo-
nio, censet Sanchez l. 3. disp. 48. cum Gasp.
Hurtado disp. 10. diff. 10. Rationem dante;
quia, quando lege nova imponitur mitior pœ-
na quàm erat imposita lege antiqua, cessat an-
tiqua, & tacitè à lege nova videtur auferri. Sic
ille. Sed contradicit cum aliis Barbosa. De po-
test. Episcop. allegat. 32. num. 162.

IV. Qualis præsentia Parochi & Testium?

1. **R**equiritur præsentia Parochi & testium 373
moralis ex parte intellectûs, ut ipsi nimi-
rùm intelligant & actualiter advertant; quid a-
gatur, ideòque testificari possint, matrimoni-
um

um utriusque consensu contractum esse. Omnes. Arg. L. 209. De verbor. significat. *Ceram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsentem eo fecisse, nisi is intelligat; itaque si furiosus aut insanus sit, vel dormiens: itémque plene ebrius, non videtur ceram eo fecisse.* Hæc ibi. Idem dicendum de eo, qui corpore præsens est physice vel materialiter tantum, sed omnino nihil advertit, quid agatur Sanchez cit. *disp. 39. num. 5.* Idemque: si sponsus vel sponsa facie cooperata, nè quidem ex voce certo cognoscatur à Parocho vel testibus; sic enim non potuerunt de hoc matrimonio testari, ideoque nullum erit. Tambur. *hic tract. 6. c. 2. §. 3. num. 6.* Et dixi notandum; *actu advertant;* Non sufficit enim advertentia vel attentio virtualis tantum, ut si Parochus vel testis accedat animo advertendi quidem, deinde vero propter mentis distractionem vel occupationes alias actu non advertat; cum sine advertentiâ vel attentione actuali ad ipsum actum veri testes de facto alieno esse non possint, esto talis attentio virtualis sufficiat in aliis Sacramentis, in *Horis Canonicis*, &c. Attamen satis est, licet ipse Parochus vel testis non intelligat ipsos loquentes, modò hi per fidelem interpretem declarent præsentem Parocho & testibus suam voluntatem; nam utique interpretes fideles præsentis est æque sufficiens, ac Procurator absentis. Ita contra Pontium & alios, Perez, *Hurtad.* aliisque citatis fuse Diana *part. 10. tract. 13. resol. 17.* Gobat. 490.

II. Non requiritur præsentia moralis etiam
ex parte voluntatis, ut nimirum Parochus & te-
stes voluntariè adsint, seu velint adesse, percipe-
re, testificari, &c. dummodò reverà adsint,
percipiant, & verè testificari possint; nam, ut
cit. *L. Reus*, pergit Jurisconsultus Florentinus:
scire autem testis, non autem velle debet. Nam
etiam invito eo rectè fit, quod jussum est, adeo-
que Parochus & testes validè matrimonio assi-
stent, etiam vi vel metu, dolo vel fraude ad lo-
cum contractus adductus, vel in eo retentus sit,
etiamsi planè invitus sit. Ex communi Sanchez
cit. *disp. 39*, Coninck. *disp. 27. num. 24*. Pontius
l. f. c. 21. num. 6. Barbosa *De Parochopart. 2. c.*
21. num. 47, Diana *parte 1. tract. 3. resol. 32*.
Tambur. *in c. 2. §. 3. dub. 9*. Gobat *cas. 18. n.*
491. Et quidem adeò invitus, ut claudat au-
res & oculos, nè quicquam audiat, vel videat,
dummodò interim verè percipiat, quæ agun-
tur. Secus utique esset, si ita conetur & affe-
ctet non percipere, ut reverà non percipiat,
dum actu contrahitur matrimonium Sanchez,
Diana, Barbosa, Tambur. Gobat. Quà ratio-
ne intelligenda declaratio Cardinalium: *Non*
valere matrimonium, si non intellexit Parochus,
nisi Parochus affectasset non intelligere. Subau-
di: ita, ut tamen reverà intellexerit. Ut con-
trà Pontium & Sanchez benè probat, & defen-
dit, Gobat *l. c.* Ratio omnium est; quia, quam-
vis ex parte voluntatis sit repugnantia, dummo-
dò

dò adsit sufficiens advertentia ex parte intel-
ctus, adest totum, quod requirit Tridentinum.

375 III. Nec requiritur, ut Parochus, aliive testes
ad id vocati vel rogati sint, sed sufficit, si casu
interveniant matrimonii contractui, v. g. convi-
vii, confabulationis vel alterius negotii causa,
nam *Arg. L. 11. ff. De testibus. Ad fidem res*
gesta faciendam etiam non rogatus testis intelli-
gitur. Adeoq; nulla alia formalis adhibitio Pa-
rochi vel testium requiritur, quam ut contrahatur
coram eis sufficienter cognoscentibus, quid aga-
tur, vel dicatur. Sanchez cit. num. 11. Layman,
num. 6. Hurtad. *Adversa, Tambur.* aliq; plu-
rimi cum *Diana & Barbosa l. c.* Et si contra sen-
tiant *Pontius & Fagnanus* adferentes Declara-
tionem Cardinalium in contrarium, de quata-
men nobis authenticè non constat. Certe *Aver-*
sa & Tambur. explicant, Congregationem lo-
qui, quando ex tali casuali præsentia & transitu
non potest benè percipi, quid agatur.

376 IV. Validè assistit matrimonio Parochus,
etiā si nihil omninò loquatur, nec proferat il-
la verba à Tridentino vel Rituali præscripta;
cū nulla verba Parochi sint de essentia matri-
monii. Ex dictis suprā. Eaque verba omittendo,
per se loquendo, solum venialiter peccare, con-
trā *Rebell.* docent *Sanchez, Tanner.* alii cum
Gobat num. 492. Addit denique Layman. cit. n.
2. num. 7. Parochum Catholicum etiam licitè
assistere matrimoniis hæreticorum in sua Paro-
chia degentium, cū id ei non vetetur nec ra-
tione

tionem communicationis cum hæreticis; cum ii sint tolerati: nec ratione reverentiæ Sacramenti, quod ii indignè suscipiunt; cum ipse non sit minister, sed assistens tantum & testis: nec infrequens est, quod assistat matrimoniis indispositorum. Certè nimis difficile foret, ipsis negare facultatem contrahendi, aut cogere, ut contrahant coram ministro hæretico, qui nullam jurisdictionem habet. Quidquid contrahentiat *Tanner.* apud Gobat n. 438.

§. V.

Premissis de Præcepto tribus denuntiatio-
nibus.

Textus Concilii Tridentini Sess. 24. c. 1. De 377
reformat matrimon. sic habet. *Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inharendo præcipit (Sacra Synodus) ut imposterum antequam matrimonia contrahantur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus Festis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos matrimonium contrahendum sit: quibus denuntiatio-*
nibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesie procedatur. Ubi Parochus, viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium con-
jungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis; juxta receptum unius-
cujusque Provincia ritum. Quod si aliquando
PARS IV. SACRAMENT. Z præ-

probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parochus & duobus vel tribus testibus presentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint, impedimenta, facilius detegantur, ut si ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentia & iudicio sacra Synodus relinquit. Haftenus Concilium. Ubi aliqua pro necessaria notitia Confessarii notanda sunt.

- 378 I. Denuntiationes istæ non sunt de substantia seu valore matrimonii, ita ut si omittantur, irritum matrimonium censi debeat. Ut contra Menochium & duos alios J.Ctos, docent omnes Theologi, ac Canonistæ communissimi. Cum nec ipsum Tridentinum, nec ab eo allegatum Lateranense Concilium id ullo verbo significet: sed sunt tantum de necessitate præcepti, ut absque gravi & mortali peccato omitti non possint, cum materia præcepti, gravissimi momenti sit, ne scilicet matrimonia invalida contrahantur. Excepto tamen: nisi ob gravem & urgentem causam Episcopus dispenset, & in casu necessitatis urgentis, cum Episcopus adire non potest, ipse Parochus dictas denuntiationes omittere potest & debet. Ut uno casu expresso (eadem est ratio de similibus) indicat ipsum Concilium, & ex communi docent Sanchez l. 3. disp. 10. num. 27. Layman. cit. tract. 10. c. 4.

num. 11. Caterum quamvis tam Concilium Tridentinum, quam Lateranense cit. c. ultimo. De clandestina despons. intenderit, quod denuntiationes ab utriusque contrahentium proprio Parocho fiant si illi ad diversas Parochias spectent; ut docent communissimè DD. cum Sanchez disp. 6. Addit tamen Layman cit. num. 10. non debere damnari consuetudinem, quæ adhuc hodiè in quibusdam Ecclesiis viget, ut denuntiationes fiant duntaxat in Parochia unius sponsi, in qua nuptiæ celebrandæ sunt; multum enim valet consuetudo in his, quæ ex jure positivo proveniunt, præsertim in proposito non satis declarato.

II. Denuntiationes istæ sunt velut quasi editum Episcopale, quo præcipitur fidelibus, ut si noverint aliquod impedimentum, sive dirimens: ut consanguinitatem affinitatem, &c. sive impediens tantum; ut votum simplex Castitatis, vel sponsalia cum alio vel alia contracta &c. illud Parocho manifestent. Quare conscius alicujus impedimenti inter sponso, per se loquendo, tenetur illud manifestare sub mortali. Omnes. Tum propter divinum Præceptum de impedimento peccato proximo: tum propter reverentiâ Sacramenti. Tum propter hoc ipsum præceptum Ecclesiasticum ob gravem finem graviter obligans. Idque non tantum certissimò verum est, quando sponsi conscii impedimenti volunt maritalios contrahere: ut fatentur omnes: aut licet ipsi ignari sint impedimenti, sed periculum sub-

est, quòd postea manifestetur illud; sed etiam verum est, quòd ipsi ignorant impedimentum, & non est periculum, illud postea manifestandi; cum etiam materialis irreverentia Sacramenti, & materiale peccatum proximi sit impediendum, quòd facile potest: juxta communem DD. apud citatos, etsi tunc probabiliter negent *Pontius, Perez, Barbosa, Burghaber* apud Gob. *cas. 13. num. 532.* Quòd si autem malitiose contrahere vellent, certum est, debere manifestari, etiam si impedimentum oriatur ex delicto gravi, sitque notum uni soli, etiam si illud nosset sub secreto naturali, etiam si prius fuisset præstitum juramentum de non pandendo; quippè quia nec secretum naturale, nec juramentum obligat cum tanto incommodo animæ, & bonorum aliorum. Vide *Burghaber centuria 2. cas. 108.* Sed de hoc mox iterum.

380 III. Testis volens manifestare impedimentum conjunctum cum infamia, utpotè ortum ex gravi delicto sponsi vel sponsæ, debet, servato ordine charitatis & correctionis fraternæ, prius monere obnoxium illi impedimento solum, ut desistat à cogitato matrimonio, alioquin se sua conscientia satisfacturum in eo denuntiando. Huic admonitioni etiam repetita coram uno bono viro, vel bonâ fœminâ, maxime coram parentibus, si non acquiescat ille reus vel rea illa, jam omninò servandum erit præceptum Christi: *dis Ecclesie*: & quidem, ut jam innui, debet dicere Ecclesie seu Parocho, etiam si illud impeditur.

dimentum infamatorum noffet sub fecrero naturali, jurassetque se non manifestaturum. Juxta communem DD. Sanchez l. 3. disp. 13. num. 6. Perez. disp. 43. sect. 6. n. 8. Dicastil. disp. 2. dub. 28. num. 299. Gobat. cas. 13. n. 536. Tandem omnino cessabit obligatio manifestandi impedimentum, imprimis quando ex revelatione imminet grave malum revelanti sive aliunde, sive ex se v. g. in delicto complici; non enim tenemur cum gravi nostro incommodo promovere correctionem proximi, vel impedire ejus peccatum. *Omnes.* Deinde quando timetur grave scandalum ex revelatione. Ex communi Sanchez cit. num. 9. Addit Gobat num. 536. idem dicendum, quando imminet grave damnum alteri innocenti in honore, fama, fortuna, vel vita. Ratio communis est; quia neq; lex charitatis, neque reverentia Sacramenti, neque preceptum Superioris potest obligare ad tale incommodum; quando quidem non sint facienda mala, ut eveniant bona. *Ad Rom. 9.* Declarabo mox uno & altero casu inferius.

IV. Denique & ipsemet sponsus vel sponsa 381
scilicet laborans aliquo impedimento, etiamsi non interrogetur, tenetur aut manifestare suum impedimentum, esto conjunctum cum infamia: aut desistere à proposito contrahendi; quia tenetur non peccare; singulariter autē tenebitur aperire, vel à matrimonio desistere, si interrogetur à Parocho: an laboret impedimento? communissima cum Sanchez disp. 14. alii passim. Ratio est;
Z 3 quia

quia licet interrogatus non teneatur respondere; quando ob suam veram responsionem esset puniendus, cum nimis difficile foret, se ipsum accusare in ordine ad poenam; at tamen quando interrogatio sit solum in ordine ad evitandum peccatum, ut fit in proposito, adest obligatio respondendi sincere: sicut tenetur sincere respondere irregularis petens suscipi ad Ordines. Ais: quid ergo agendum sponso vel sponsæ, quando nec impedimentum suum potest manifestare sine gravissima sua infamia, aut etiam periculo vitæ ex una parte, nec ex altera parte potest desistere a matrimonio sine æquali gravissimo discrimine vel incommodo? responsionem habes *scilicet* 1. §.

3. *In impedimento vis. an. 23.*

582 Pro cautela confessarie cape hunc casum. Anna dicit ad Confessarium: Ursula desponsata est Petro, & jam facta est prima denuntiatio, sed Margareta juncta Ursulæ in secundo gradu consanguinitatis mihi ob certam causam sub summo secreto facta est, esse se carnaliter cognitam a sponso Petro non ignaro cognationis. Teneor tamen nihilominus obedire Parocho præcipienti manifestationem cognitorum impedimentorum? Respondit Confessarius: teneris. An rectè? Respondet meritò Gobat eodem *num.* 537. non rectè: errasse turpiter; gravissimè enim peccasset Margareta, si manifestasset crimen Ursulæ; utpote quæ planè erat innocens in ordine ad illud matrimonium. Quare nec ipsa Margareta tenebatur directe vel indirectè manifestare suum crimen; tene-

tenebatur tamen Anna illam sub alio prætextu dehortari ab illo matrimonio, si aliunde haberet Ursula justam causam recedendi: fecit, si non justam. Sic *Gobat* ibidem; n. 538. Rectè relolvens, non fuisse obligatam, scelus suum nefandum manifestare, sceleratam illam, quæ filium suum cum ejusdem & suâ filiâ contrahere matrimonium permisit, etsi ægerimè; cum alia ratio non suppeteret impediendi incestuosissimas nuptias, nisi prodendo suum nefandum flagitium; nam certè lex naturalis charitatis de correctione fraterna se ad hoc non extendit; inauditum verò est, quod lex vel præceptum humanum comprehendat tam tragicos, cruentos & pudendos casus.

§. VI.

Effectus est Gratia sanctificans, & triplex bonum essentielle matrimonii, Fidei, Prolis, & Sacramenti indissolubilitatis.

I. **M**atrimonium eo ipso, quo §. I. probatum est, esse verum Sacramentum novæ Legis, etiam probatum manet ejus effectum principalem esse Gratiam sanctificantem, & jus ad gratias actuales pro tempore & occasione conferendas ad debitè & fructuosè obeunda munia & sufferenda onera matrimonii: Idque maximè, cum matrimonium sit Sacramentum etiam in facto esse, perpetuò representans conjunctionem spirituales Christi cum Ecclesia; Verbi Divini cum natura humana. Nec de hoc effectu aliquid dicendum specialiter superest,

Z. 4 præter

præter generatim dicta de effectu Sacramen-
 torum in genere p. 1. c. 1. Sect. 3.

384 II. Matrimonii porro (quatenus contractus
 & Sacramentum est) effectus numerantur illa
 tria bona essentialia matrimonio, quatenus vin-
 culum est (si nimirum accipiantur quoad obli-
 gationem & actum primum.) scilicet Fidei, Pro-
 lis, & Sacramenti, quæ eleganter explicat. D. Au-
 gust. l. 9. super Genesin dicens: *In fide attendi-
 tur, ne præter vinculum conjugale cum alteri
 concumbatur: In prole, ut amanter suscipiatur,
 benignè nutriatur, Religiosè educetur: In Sacra-
 mento, ut conjugium non separetur, & dimissus
 vel dimissus, ne causâ quidem prolis, alteri conju-
 gatur.* Sic sanctus. Vide etiam Layman. tract.
 IC. part. 3. in initio.

385 III. Bonum ergo Fidei consistit in obligatio-
 ne servandi fidem tori conjugii, cum petit; & soli
 conjugii. De quo ex professo c. sequent. sect. 3. &
 4. Bonum prolis consistit in obligatione susci-
 piendi, nutriendi & educandi prolem. De quo
 alias in quarto Præcepto; necessaria tamen indi-
 cabo infra cùm de debito, in fine. Bonum Sacra-
 menti consistit in indissolubilitate matrimonii
 vivente utroque conjugue, seu, ut loquuntur jura,
 in perpetua vitæ societate; hac enim velut Sacra-
 mento ac sacro signo vel symbolo repræsentant
 matrimonium, & conjuges indissolubilem con-
 junctionem Christi cum Ecclesia, & Verbi Di-
 vini cum natura humana. Et de hoc breviter hac
 ultima Subsectione.

IV. Prænotandum autem est, duplicem esse ³⁸⁶
modum dissolvendi matrimonium, quoad vincu-
lum, & quoad torum. Quoad vinculum dici-
tur dissolvi matrimonium, quando nexus & ob-
ligatio inter conjuges simpliciter tollitur, ut ve-
rè desinant esse conjuges, & utrinque liberi eva-
dant, ac si nunquam conjugati fuissent, restituun-
tūrque in eum statum, quem ante nuptias ha-
buerunt; perindè ac si uterque mortuus revoca-
retur ad vitam, posset uterque convolare ad aliud
matrimonium. Dissolutio autem quoad torum
dicitur, quando manente vero conjugio quoad
vinculum, solum liberatur conjux obligatione
debitum conjugale reddendi, cohabitandi, cæte-
ræque officia conjugalia præstandi, seu, quando
saltem acquirit verum jus negandi debitum, &
cætera prædicta, sicut fieri per adulterium, di-
cemus *c. sequent. in fine.*

SUBSECTIO.

*De indissolubilitate & dissolubilitate Ma-
trimonii.*

SUMMARIA.

- 388. Jure divino, 389. ac etiam jure natura.
- 390. Saltem inchoatè, indissolubile est omne matrimo-
nium, legitimum, ratum, consummatum.
- 391. Adeoque etiam matrimonia hereticorum aut indis-
solubilia sunt, aut nulla.
- 392. Matrimonium infidelium, etiam consummatum,
solvitur per unius conversi & baptizati aliud matri-
monium contractum.
- 396. Matrimonium fidelium ratum tantum solvitur per
professionem Religionis.

398. Etiam post multos annos (ubi 399. de privilegio pri-
mi bimestris.)

401. Ac etiam per dispensationem Pontificis.

402. Solvuntur fundamenta contraria.

404. Matrimonium verò consummatum fidelium est
simpliciter indissolubile. 405. quoad vinculum.

407. Est tamen solubile quoad torum.

408. I. Per Professionem Religionis, mutuo consensu, vel
de licentia alterius factam.

411. II. Per suspensionem Ordinis sacri.

412. III. Per votum simplex castitatis mutuo consensu ce-
missum &

413. IV. Per electionem continentia.

ASSERTIO.

387 **M**atrimonium omne, legitimum, ratum,
consummatum ex primavâ sui institutio-
ne jure divino est indissolubile; adeoque etiam
hereticorum matrimonia aut indissolubilia sunt,
aut verius nulla, & meri concubinatus. Matri-
monium legitimum infidelium etiam consumma-
tum solubile est per unius conjugis conversi ac
baptizati aliud matrimonium contractum. Ma-
trimonium ratum fidelium etiam solvitur per
Professionem Religionis approbate, & ob cau-
sam urgentissimam etiam per dispensationem
Pontificis. Matrimonium consummatum verò fi-
delium simpliciter indissolubile est quoad vincu-
lum sed bene solubile quoad torum per divortium,
sive ob crimen, sive ob majorem vite perfectionem
Hæc Assertio magna parte speculativa est, &
controversa; explico quantum satis est.

Ex primava sui institutione jure divino est indissolubile.

Ita expressè Concil. Trident. sess. 24. *In do-* 388
ctrina de Sacramento Matrimonii, probans ex
 verbis Adami Gen. 2. & Matth. 19. *Matrimonii*
perpetuum indissolubilemque nexum primus hu-
 mani generis parens divini spiritus instructus
 pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus*
meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet
homo Patrem suum & matrem, & adhærebit u-
xori sue, & erunt duo in carne una, & c. & post-
 eà ejusdem nexùs firmitatem ab Adamo tantum
 antea pronuntiatam confirmavit Christus *Mar.*
19. dicens: *Itaq; jam non sunt duo, sed una caro;*
quod ergò Deus conjunxit, homo non separet.
 Et ibidem replicantibus Judæis libellum repudi-
 à Moyse permissum respondit Christus: *Moses*
ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimit-
tere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic;
& c. Ubi Christus manifestè ostendit, matrimo-
 nium à primà sui institutione fuisse indissolubile,
 ac deinceps etiam in Lege Evangelica idem ob-
 servandum esse, excluso omninò illo libello repu-
 dii Moysaico. *Deuteronomii. 14.*

II. Insuper matrimonium quodcunque legi- 389
 timum, etiam infidelium, ipso jure naturæ esse
 indissolubile docent permulti DD. *Sot. Vasquez,*
Rebel. Pontius, Bellarmin. Hurtad. Castro-Pa-
laus. Leander, eòsque citans *Tamburinus.* Ratio
 potissimum est: quia certum est; naturaliter illici-
 tum

tum esse concubitum vagum, & communicatio-
nem virorum & uxorū indifferenter; cum id
repugnet fini principali matrimonii, scilicet su-
ceptioni, educationi prolis: ergo certum debet
esse matrimonium naturā suā indissolubile; si
enim naturā sua esset solubile, sicut ceteri con-
tractus mutuo consensu, passim possent relinqui
viri & mulieres, aliis matrimoniis, ductis: sicque
re ipsa admitteretur communicatio virorum &
uxorū: quæ jure & lumine naturæ negatur ab
omnibus etiam Ethnicis. Contrā tamen matri-
monium non esse ita naturā suā indissolubile, ut
ejus dissolutio juri naturali repugnet, docent alii
probabilius, Sanchez *l. 2. disp. 13.* Conink *disp.*
26. dub. 2. Layman. *tract. 19. part. 3. n. 2.* Ra-
tio est; quia, spectato jure naturali præcisè, verissi-
mè nihil tam naturale est, quam eo genere quid-
piam resolvere, quo colligatum est. *Regula 32. ff.*
De regulis juris. Neque ulla adfertur ratio, cur
non etiā matrimonii contractus, perindè ac alii,
spectato jure naturali præcisè, per mutuū justum
consensum dissolvi possit, nisi quòd talis dissolu-
tio repugnet fini matrimonii & bono prolis, ut
dictum est: atque hæc ratio non ostendit solutio-
nem matrimonii per se intrinsecè esse malam, sed
solum ratione adjuncti, quod sæpissimè abest, ut
si proles jam perfectè educata sit, aut ob uxoris
senium vel sterilitatē nulla spes generandæ prolis
superfit: Quo casu solutio matrimonii magis cō-
ferret ad bonum prolis, ejusque generationem
cum alia conjuge, quam repugnet. Tandem si
in

indissolubilitas matrimonii esset de jure naturæ strictè, non potuisset in ea dispensare Deus, permittendo libellum repudii in Lege Mosaica, de quo supra mentio.

III. Placet sententia media ejusdem *Sanchez*, *Coninck*, *Perez*, *Herincx*, aliorum: Indissolubi-³⁹⁰ litatē matrimonii fundari inchoativè in jure naturali, ac ipsā naturā matrimonii spectatā in ordine ad debitā prolis susceptionem & educationem, quæ certè excludit concubitus vagos, & exigat aliquā indissolubilitatē matrimonii, ut saltem pro libitu & propria authoritatē contrahentiū, & absque urgente causā dissolvi non possit. Omnimoda autē dissolubilitas matrimonii præsertim consummati fidelium pro omni casu completè & formaliter esse à jure divino positivo N. I allegato: idque magni Sacramenti seu magni Mysterii causā, propter futuram Verbi Divini Incarnationem, quā tunc ab Adamo prophetico spiritu revelatā esse, significat Apostolus *ad Eph. 5.* & docent D. Augustinus *l. 9. de Genesi, ad lit. r. c. 19.* alii sancti Patres. Notā hīc, quod hæc indissolubilitas dicatur bonū Sacramenti: & matrimoniū fidelium esse ratum, seu indissolubile ratione Sacramenti triplici sensu intelligi posse: 1. Ratione Sacramenti mystici, scilicet quatenus Matrimoniū est sacrum Mysteriū repræsentativū conjunctionis Verbi Divini cum natura humana & Ecclesia: 2. Ratione Sacramenti propriè dicti, ut est signum Gratiæ sanctificantis ipsius matrimonii; nam indissolubilitatem matrimonii inter fideles

oriri ex ipso Sacramento à Christo matrimonio annexo, est communis sensus, & docent Innocent. Lopez alii apud Sanchez cit. & pleriq; RR. inter quos Aversa & Marchant. noster. 3. Ratione Sacramenti Baptismi; nam maiorem illā, & omnimodā indissolubilitatem matrimonii fidelium oriri ex Sacramento Baptismi, expressè significat. *Quanto. De divortio. Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, ut etiam, postquam consummatū est, nullo casu dissolvi possit, inter fideles autē verū & ratū existit, quia Sacramentum fidei id est Baptismi, quod semel admissum efficit conjugii Sacramentū, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.* Hæc ibi.

391 IV. Quamvis ergo matrimonium etiam legitimum seu ratū tantum fidelium ex ipso mutuo consensu & pacto (maxime accedente ratione Sacramenti) sive ex natura sua, sive ex primava institutione Dei contineat individuā vitæ societatem & indissolubilitatem aliquam super alios contractus; maiorem tamen firmitatem, & inter baptizatos omnimodam indissolubilitatē ex eadem Dei ordinatione obtinet per actuale ejus usum ad consumationem copulæ carnalis, quā tandem fiunt una caro vir & mulier. Ut significat Christus Matth. 19. Itaque jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Cujus ratio mystica jam toties insinuata traditur c. Debitum. de bigamis. Quia per matrimonium legitimū vel ratum tantum significatur conjunctio Christi vel Verbi cum Ecclesia vel anima

anima fidei, per directionē Charitatis & Gratiae tantum : quæ unio non est omninò firma, sed in singulis saltem membris solubilis per peccatum mortale. Per matrimonium autem consummatum, factâ unitate carnis, repræsentatur conjunctio Verbi Divini cum natura humana per unionem hypostaticam assumpta, quæ ex eadem ordinatione Divina omninò est indissolubilis. Ee hinc non est mirum, si dicemus, matrimonium ratum quandoque dissolvi posse, consummatum verò nunquam inter fideles baptizatos, atq; adeò etiam inter hæreticos.

Quare dixi per parenthesin, *matrimonia hæreticorū aut indissolubilia esse, aut nulla, & meros concubinatus*. Ut latè probat Gobat. tract. 10. cas. 19. Et Ratio est; quia omne matrimonium baptizatorum est per se loquendo Sacramentum & indissolubile: ut clarè dicit Pontifex cit. c. *Quanto de divortiis*. Aut ergò hæretici habent generalem intentionem contrahendi matrimonium more fidelium & Christianorū, sicut Deus & Christus instituit ac ordinavit, & tunc erunt Sacramenta & indissolubilia, non obstante errore privato, quo non credunt, & non intendunt Sacramentum & contractum dissolubilem conficere: consequenter tunc non erunt solum contractus politici, quia ratio Sacramenti tollit illam civilitatem, & confert sacrationem, ut sic dicam: Aut expressè intendunt solum contrahere civiliter & dissolubiliter positivè excludendo tantum rationem Sacramenti (quo casu adhuc

mane-

maneret contractus indissolubilis inter Baptizatos in nostra sententia *supra* > sed etiam indissolubilitatem; & tunc contractus matrimonii inter baptizatos simpliciter nullus erit, cum indissolubilitas sit conditio essentialis matrimonii fidelium saltem consummati: & consequenter erit concubinatus tantum. Fateor tamen, probabilem esse Sententiam multorum RR. etiam nostri Marchant. *Tribunal. tomo 3. seu specul. tract. 1. 11. 2.* Matrimonia hæreticorum, esse contractus civiles dissolubiles, atque per conversionem ad fidem eo modo solvendo, quo mox dicemus de matrimoniis infidelium. Quem videre potes; sed junge ei Gobat in *Appendice* 15. 16. 17.

§. II.

Matrimonium infidelium etiam consummatum, dissolubile est per unius conversi & baptizati aliud matrimonium contractum.

392 Quidò duorum conjugum infidelium non baptizatorum, conversus alter ad fidem baptizatur, non dirimitur hoc ipso matrimonio prius validum; nam per *Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur*: inquit Innocentius III. c. *Gaudemus. De divortijs.*

393 II. Attamen si conjuge uno ad fidem converso, alter spontè recedat, aut cohabitare nolit sine fidei contumelia, blasphemiâ Divini Nominis, periculo subversionis, inductione ad peccatum, concessum est fidei converso aliud matri-

matrimonium contrahere, quo contracto prius matrimonium penitus dissolvatur. Prout disertè definitidem Innocentius, III. c. *Quanto. eodem.* Ex claro Textu Apostoli. 1. Ad Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti (id est iugo matrimonii prioris) subiectus est frater & soror in huiusmodi.*

III. Quod si ambo conjuges infideles ad fidem convertantur, & baptizentur, eorum matrimonium, quod antea ratum & indissolubile omninò non erat, per ipsum Baptismum efficitur ratum, & omninò indissolubile post consummationem æquè, ac fidelium. Sed, nunquid etiam efficitur Sacramentum? Affirmant cum S. *Thoma* & pluribus congestis *Sanchez l. 2. disp. 9. Coninck. disp. 24. dub. 2. Layman tract. 10. part. 2. cap. 3. num. 6.* Rationem dant; quia eo ipso, quod conversi post Baptismum consentiunt porro cohabitare, eumque consensum quocunque signo declarant. Contractum præcedentem matrimonii confirmant, & ratificant, ipsiq; modò incipiunt esse de novo sacrum symbolum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, adeoq; etiam congruum est, ut tunc potiantur gratia sanctificante. Negat autem mordicus noster *Herincx hic disp. 2. quest. 2. num. 19.* eo quòd Christus dignitatem Sacramenti annexerit ipsi contractui seu actuali contractioni & inductioni vinculi matrimonialis, non verò innovationi seu perseverantiæ ejusdem Sacramenti matrimonii; quamobrem etiam matrimonium fidelium,

qui contrahentes exclusissent rationem Sacramenti, non transiret in Sacramentum postea, si conjuges illi poenitentiam ducti innovarent consensum cum intentione Sacramenti: ait Idem ibidem. Tu crede, quod placet.

395 IV. Si infideles ante Baptismum contraxerunt matrimonium cum impedimento dirimente solo jure Ecclesiastico, ut consanguinitatis, affinitatis, &c. post eorum conversionem ac Baptismum, verum & ratum ceteri debet, quia in infidelitate contrahentes Canonicis constitutionibus non adstringebantur. Expressè cit. *c. gaudemus*. Secus, si impedimentum fuissent juris naturalis vel divini, v. g. consanguinitatis in primo gradu, ligamen, &c. Quid si ergo infidelis, Turca v. g. antea plures uxores habuit, vel adhuc omnes retineat, vel prioribus repudiatis aliam tenet? Responsio clara est: post Baptismum retinendam esse, quam prima vice valide duxit. Hæc quoad infidelium matrimonia, cum in nostris partibus praxis rarissima sit, obiter insinuasse sat sit, late videre potes apud supra citatos Sanchez, Layman, & alios.

§. III.

Matrimonium ratum fidelium solvitur per Professionem Religionis approbata, ac Dispensationem Pontificis.

396 I. **S**olvi per professionem, certum est de fide definitum in Concil. Trident. Sess. 24. *Can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum non*

con-

consummatum per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit. Idemque decernitur variis Sacris Canonibus. c. Decreta Legalia 27. quest. 2. Extrav. antiqua. De voto, c. 2. c. Ex publico c. Ex parte &c. De convers. conjug. Quo autem jure solemnis Professio solvat matrimonium, controversum est. Communis sententia est, solvere jure divino, & privilegio à Christo tradito per Ecclesiam. Ita Scottus 4. d. 31. quest. unica n. 4. Herincx disp. 4. num. 5. & plurimis citatis Sanchez l. c. Pontius supra, Tambur. c. 5. tract. 6. num. 4. Eò quòd nullum exstet jus, quod primò hoc statuatur; sed Pontifices locis allegatis potius supponunt, & declarant, tale matrimonium per professionem solemnem solvi, utique jure aliquo altiori. Contrà tamen solvere solo jure Ecclesiastico, seu sola Ecclesiæ autoritate, quam per antiquissimam Traditionem accepimus, æquè probabiliter docent alii, Henric. Medina, Lessius, Coninck, eosque citans Layman. c. 6. num. 3. Eadem ratione; quâ matrimonium contrahendum dirimere diximus Sect. I. §. 6.

II. Professio solemnis penitus dissolvit matrimonium ratum quoad vinculum, ita ut ea emissâ (quam proindè expectare debet) conjux in sæculo remanens liberè possit ad alia vota transire. Et insuper, si professus talis antea conjux à summo Pontifice dispensetur à suis votis solemnibus, & egrediatur ex Religione, poterit quaecunque eligere pro suo novo matrimonio:

idque verum est, etiamsi uterque conjux Religionem assumpsisset, & deinde similiter dispensati poterunt cum aliis quibuscunque matrimonio copulari. Ratio clara est; quia jam ruptum fuit prius vinculum: idque etiam ex communi sententia ex institutione Christi Domini. Atque hinc ulterius fit, ut talis Religiosus antea conjux peccet contra castitatem: peccat quidem sacrilegè contra votum, non tamen committit adulterium, cum jam matrimonium, vinculo soluto, nullum sit. Pari modo contra castitatem sacrilegè peccabit, si copuletur cum ea ipsa, cum qua antea contraxerat matrimonium ratum; quia, dissoluto vinculo, illa sua amplius non est. Secùs dicemus, quando quis post matrimonium consummatum per divortium professionem emittit; quia tunc non solvitur matrimonium quoad vinculum.

398 III. Professio sollemnis solvit matrimonium ratum nondum consummatum; quocunque tempore, etiam post multos annos; & hinc in favorem Religionis; simulque ne alter conjux nimiam expectatione gravetur, *c. Ex publico.* secundum communissimam DD. interpretationem, conjugum de ingressu Religionis ante consummationem deliberanti duorum mensium spatium conceditur, intra quod vel Religionis propositum exequatur, interim liber ab obligatione reddendi debitum: quo spatio elapso, si adhuc debitum quacunque causa, quantumvis injustè, conjugum neget, adhuc, altero invito, Religio-

ligionem ingredi poterit ante consummationem. Ut cum Glossa, & aliis docent Sanchez *disp.* 24. *num.* 27. Layman. *c.* 6. *num.* 7. Insuper, si intra illud tempus à jure concessum maritus conjugem deliberantem de Religionis ingressu per vim opprimat (mortali peccato, secundum Sanchez *disp.* 22. *num.* 15.) etsi jam matrimonium indissolubile factum sit quoad vinculum, quippe per veram copulam consummatum, nihilominus probabilius est, posse uxorem coactam adhuc Religionem ingredi, & inter viduas vel conjugatas profiteri; quia nemo sine sua culpa, nedum per injuriam alterius, jure suo privari debet. *Rodrigu. Ledesma*, alii cum Sanchez. *disp.* 22. *n.* 6. Layman. *§.* 2. *Pontius. Hurtad. Aversa*, cum Tambur. cit. *§.* 3. *n.* 5. At, quid tunc erit de altero conjugē, qui ad copulam coegit? *¶.* Iplum nec posse matrimonium novum inire, nec Religionem profiteri. Ratio est; quia cum remaneat vinculum, non liberatur conjux ab obligatione matrimonii, quam liberationem idē concedimus coactae, quia non debuit ob injuriam alterius suo jure privari: quod non militat in cogente.

IV. Privilegium dictum primi bimestris matrimonii, negandi debitum probabilius conceditur solum conjugī cogitanti, deliberanti, aut jam volenti Religionem ingredi, adeo, ut conjux nolens ingredi Religionem etiam primo bimestri debitum conjugī petenti negare non possit; cum sacri Canones non restringant, nec

possint restringere jus conjugii per matrimonium acquisitum ad petendum debitum, nisi in casu, quo alter conjux Religionem ingredi cogitat, vel deliberat, aut defacto vult: ergo nec nos amplius restringere debemus. *Navar. Angelus, Coninck*, alii cum Layman cit. *num. 3*. Contrarium tamen, nimirum conjugem etiam actu nihil cogitantem de Religione ingredientem, tamen primo bimestri posse negare debitum, satis probabiliter docent plures alii cum Sanchez *l. 2. disp. 24. quest. 5*. Pontius *l. 6. c. 1*. Tambur. cit. *§. 4. num. 4*. Ratio datur; quia qui noluit a principio vel priori mense animum Religioni adijcere, poterit forsitan, Deo vocante, postea per mensem posteriorem: ergo habet jus custodiendi aptitudinem ad Religionem, adeoque consummationem matrimonii differendi.

Inquires adhuc aliqua curiosule: 1. Quid si talis matrimonio rato tantum ligatus eligat Religionem ideo tantum, quia ei displicet uxor, vel potius nova nupta, ut eam se expediat? *Tambur. ibidem n. 18*. videtur hic licite jure suo uti posse. 2. Quid si notabile damnum inde immineat nuptae utpote quae difficillime alterum virum invenire poterit? *xy. in simili Sanchez cit. num. 27. & ex eo Tambur. cit.* adhuc videtur vir uti posse jure suo, quae enim charitas illum obligat cum notabili suo damno ad faminae commoda procuranda; neque irrogatur injuria faminae, quia etiam ipsa par-

rem habet potestatem : & sub hac implicita
 conditione uterque contraxit matrimonium :
 ut quousque non fuerit consummatum, possit
 alter ad Religionem proficisci. 3. Licebitne
 etiam mihi contrahere matrimonium per verba
 de præsenti cum certo animo non consumman-
 di, sed ad Religionem sine consensu conjugis
 transeundi? R. Certe regulariter licere ne-
 quaquam, idque sub morali. Ex communi
 Sanchez l. 1. de matrimo. disp. 43. num. 7.
 & 12. Corinck. Hurtado, Aversa, alii cum
 Tambur. cit. §. 2. num. 15. Ratio est; 1. Quia
 regulariter fit injuria uxori; & quia co-
 getur expectare, donec tu profitearis; & quia tuâ
 causâ frustra fuerunt expensæ factæ à tua spon-
 sa. 2. Quia si tu fortè non profitearis, co-
 getur uxor cum suo dedecore te habere con-
 jugem excucullatum. 3. Quia das ansam non
 paucis suspicandi, ipsam à te propter aliquid
 vitium fuisse derelictam. 4. Quia si fortè ideò
 vis contrahere cum animo transeundi ad Reli-
 gionem, quia votum emiseras castitatis, te ex-
 ponis evidendi periculo consummandi matri-
 monium, adeoque votum violandi. Dixi au-
 tem *regulariter*; Nam in aliquo raro casu ma-
 gnæ necessitatis peccatum non esset; quia neces-
 sitas tanta vincere posset incommoda illa, quæ
 modò dicta sunt. Exemplum ponit Sanchez.
ibidem: Si illa matrimonii contractio tibi esset
 medium necessarium, ut posses ad Religionem

transgredi v.g. si esses in carcere inclusus, nec ali-
ud medium evadendi occurreret, nisi cum illo a-
nimo matrimonium contrahere. Sed facessant
tam raræ præses. Jam.

Quid de Dispensatione Pontificis?

400 I. **M**atrimonium ratum quoad vinculum
solvi posse autoritate Ecclesiæ seu
per dispensationem Pontificiam, negant rotun-
dè & sanè probabilissimè gravissimi DD. quos
longo catalogo recitat Sanchez infra citandos, &
acriter Pontius, Mercatus, alii RR. apud Dia-
nam citandum, Herinex quoque noster hic disp.
4. quest. 1. num. 8. Fundamenta minimè
contemnenda latè proponunt DD. citi. Potis-
sima sunt: 1. Christus Matth. 19. apertissimè
dicit: quod Deus conjunxit, homo non separet. 2.
Matrimonium ratum lege divina indissolubile
est: sed Pontifex non potest dispensare in lege
divina. c. sunt quidam & sequentibus 25. quest.
1. 3. Ecclesia vel Pontifex non potest mutare
Sacramenta: matrimonium autem ratum ex in-
stitutione Christi est Sacramentum: ergo, &c.
4. Matrimonium ratum non nisi accidentaliter
differt à consummato: ergo si Ecclesiæ autori-
tate solvi potest matrimonium ratum, poterit
etiam solvi consummatum, quod est falsissimum,
& hæreticum: ut patebit §. sequent. Addunt
aliquos Pontifices hanc sententiam secutos eam
dispensationem negasse, ut Innocentius III. A-
drianus VI. & Pius V. Sed hoc nihil urget, cum
ex

ex alia causa potuerint moveri ad negandam dispensationem, quam ex defectu potestatis agnito & longè plures Pontifices eam dispensationem concesserunt.

II. Contra tamen matrimonium ratum ob causam urgentissimam per dispensationem Pontificis dissolvi posse, jam videtur omnino negari non posse. Docent Canonistæ communiter in cit. c. *Ex publico*. Et Theologi communius. *Navar. Sylvester, Medina, Henrig. Bellarmin. Suarez*, aliisque congestis Sanchez l. 2. disp. 14. num. 3. Layman. c. 5. num. 4. Tanner., Perez, Dicastil. Tambur. c. 6. num. 4. Diana part. 8. tract. 1. resol. 62. & rursus: tract. 3. resol. 47. ubi nominat septem summos Pontifices, qui cum triginta ita dispensaverint. Et novissime *Innocentius X.* post tam longas acresque inter Theologos disceptationes de hac potestate, fuit eâ usus erga vulgarem opificem, quidem nullius gratia iussultum: ut fidelissimè ad longum refert Gobat cas. 18. num. 676. & num. 671. meritò censens, jam absque contumelia Sedis Apostolicæ non posse defendi sententiam oppositam. Ratio ergo potissimum sumitur à posteriori: factum est: ergò fieri potest. Et quis audebit affirmare, per tot Pontifices, & toties factum esse nulliter? A priori verò; quia certum est, Christum sic posse dispensare in matrimonio rato: ergo eandem potestatem potuit Ecclesiæ, & Vicario suo Pontifici communicare; quoniam ergo videmus Ecclesiam per tot Pon-

tificum seriem ea potestate esse usam, tenendum omnino est, eam ipsi à Christo defacto fuisse & esse communicatam æquè, ac potestatem dispensanti in votis, juramentis, imò & ipsa professione solemni, secundum communem, etiam Adversariorum, sententiam. Atque hinc sic confirmo hanc sententiam cum Layman, cit. ex vulgato illo: *si possum vincere vincentem, possum etiam vincere te*: ergo si Ecclesiæ autoritate & dispensatione potest solvi & velut evinci vinculum professionis religiosæ, per quam ipsam solvitur, & verè devincitur vinculum matrimonii, à fortiori sequitur, eadem Ecclesiæ autoritate matrimonium ratum posse dissolvi.

402 III. Non convincunt rationes oppositæ Sententiæ. Ad 1. R. illa verba Christi: *quod Deus conjunxit, &c.* intellexisse de matrimonio consummato; immediate enim præmiserat itaque jam non sunt duo, sed una caro: & inde intulit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Sicut ea verba interpretatur Alexander VII. cit. c. *Ex publico finali.* Ad 2. Concedo maj. & distinguo min. Papa non potest dispensare in lege divina, directè & propria autoritate, concedo min. Non potest dispensare indirectè vel autoritate & potestate à Christo sibi communicatâ, negò min. & consequentiam. Non ergo Papa dispensat in lege divina matrimonii, sed potestate sibi à Christo collatâ (ibi: *quæcumque solveris super terram, &c.*) solvit seu remittit

tit vinculum matrimonii rati, quo vinculo soluto cessat obligare lex divina, quæ jubet vinculum matrimonii perpetuò consistere: præterquam si suâ ipsius, aut Ecclesiæ authoritate dissolvatur. Ad 3. Similiter dist. mai. & consequentiam; Ecclesia enim non mutat Sacramentum matrimonii directè per se, sed tantum indirectè & per accidens, quatenus dissoluto contractu in quo fundatur ratio Sacramenti, vir & mulier cessante esse sacrum symbolum. Ad 4. negatur consequentia; nam consummatio matrimonii est quædam perfectio ejus integralis, quæ secundum Christi institutionem sacri mysterii causâ majorem & ultimam ei indissolubilitatem tribuit. Ut §. 1. dictum. Quare non sequitur, si matrimonium ratum solvi possit, etiam posse consummatum. Plura videre potest, qui vult, apud *Ranhez, Perez, Bellarmin, Dianam, l. c.*

IV. Dixi autem: *ob causam urgentissimam*; 403
nam ex cōmuni DD. sententia mihi cum Tam-
tract. §. c. 6. §. 1. num. 9. omnino certum
est, tam ad validam, quàm ad licitam dispensa-
tionem in matrimonio rato, æquè, ac in votis
requiri justam & gravem causam, qualis, teste
Sanchez l. 2. disp. 6. ferè omnium consensu est.
1. Si gravia damna vel perpetuæ discordiæ, ri-
xæque inter conjuges, conjunctosque pruden-
ter timendæ sint. 2. Si matrimonio rato super-
venit impotentia perpetua; item lepra, aliæve
morbus incurabilis, undè mutua cohabitatio
nimis

nimis difficilis foret. 3. Magna inæqualitas inter virum & foeminam, saltem undè matrimonium difficile reddatur. 4. Si vir necessarius vel maxime conveniens bono publico eligatur in Episcopum, quæ latius videre potes apud citatos. Non ergò audiendus Henric. l. 2. de matrimonio. 8. n. 11. cum quibusdam aliis asserens: ad hoc, ut Pontifex validè dispenset, nullam requiri causam, quia Christus circa hoc omnem auctoritatem concessit Pontifici, ne relinqueretur locus perplexitati. Tu cogita, si Pontifex fias, an præstare debeas, vel velis.

§. IV.

Consummatum matrimonium fidelium simpliciter indissolubile est quoad vinculum.

404. **C**ertum apud omnes Catholicos. Ratio est; quia ex una parte matrimonium omne fidelium, maximè consummatum tum naturà suâ, tum ex ordinatione divina, tum ratione Sacramenti tripliciter est indissolubile, ut §. I. ostensum. Ex altera autem parte, ex nullo capite apparet; Christum Dominum dedisse Ecclesiæ potestatem dissolvendi matrimonium consummatum; imò ex antiquissima perpetua traditione constat, ejus vinculum esse in omni casu indissolubile, nisi per mortem alterius conjugis; ut Ecclesia semper prædicavit, & perspicuè docet Apostolus; *Ad Corinth. 7. & ad Rom. 7.*

435. II. Specialiter matrimonium consummatum

rum non posse dissolvi quoad vinculum propter fornicationem alterius conjugis seu adulterium, definitum est ab Ecclesia in Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 7. Nam generaliter dicit Apostolus ad Corinth. 7. iis, qui matrimonio juncti sunt: *Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat, &c.* Et infra: *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, &c.* In quæ verba merito D. August. l. 2. de adulterio conjugum ait: *Hæc verba Apostoli toties repetita toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt: nullius viri posterioris uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinit uxor prioris si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Sic Augustinus. Id ipsum docent alii Sancti Patres, maximè D. Chrysostomus, Basilus, Hieronymus, Ambrosius, & varia Concilia apud Bellarminum l. 1. de matrim. c. 16.

III. Contra objicitur illud Christi Matth. 406
19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxit, mæchatur:* ergò à contrario sensu, qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mæchatur: ergò ob fornicationem uxoris (ea-
dem

démque ratione vir) potest solvi matrimonium quoad vinculum. Atque ita senserunt quidam Catholici, *Cajetanus*, *Catharinus*, & antè ipsos *Eramus*, subicientes tamen se iudicio Ecclesiæ: & defacto sic docent & præficient Græci Schismatici & Hæretici nostri temporis Lutherani, & Calvinisti. *xy.* negando utramque consequentiam; Christus enim eo loco solum concedit viro fornicationem uxoris divortium ac dimissionem quoad torum. Ut præter alios latè ostendit *Cornelius à Lapide* ad eum locum *Matth. 6. vers. 10.* Nam & Christus immediate antea ex natura & prima institutione matrimonii probaverat, matrimonium planè esse indissolubile, & universalitèr dixit: *quod Deus conjunxit, homo non separaret*; quomodo ergò statim dicat, posse dissolvi quoad vinculum ob fornicationem, tam frequenti casu? & apud alios Evangelistas, *Marcum*, & *Lucam*, rursus, omissa hac exceptione, Christus simpliciter dicit *Marc. 10. Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit sui per ea; & uxor si dimiserit virum suum & alteri nupserit, mœchatur.* Eadem ferè verba habet *Luc. 16.* Cur autem apud *Matthæum* illa exceptio ponatur; rationem videre potes apud *Cornelium à Lapide* citatum.

IV. Hic velut proprio loco explicandum esset, in quonam consistat matrimonii consummatio, sed hoc satis explicatum habes *scilicet. I. eum de impedimento affinitatis: ut verecundum sit*

litrepetere, hoc solo notato: longè veriùs esse, ad consummationem matrimonii in ordine ad suos effectus non requiri seminationem foeminae. Jam testat videre, qualiter matrimonium consummatum sit.

I. Solubile quoad torum.

I. Divortium seu solutio matrimonii quoad ⁴⁰⁷
torum tantum, duobus titulis justè & sanctè fieri potest. 1. Justè fit ob crimen & principaliter adulterii; quippe quod per se ac directè fidei conjugali repugnat, de quo *c. sequent. sect.* 4. 2. Sanctè fit ob majorem vitæ perfectionem: idque quâtrupliciter, per Professionem Religionis; per susceptum Ordinem sacrum; per votum continentiae; per electionem continentiae. De quibus hic pauculis, cum hoc tempore sint ratæ praxes.

II. Solvitur matrimonium consummatum ⁴⁰⁸
quoad torum tantum, quando uterque conjugum Religionem ingreditur, ac profitetur, vel uno ingrediente de licentiâ alterius, alter uxor v. g. in sæculo remanens votum continentiae perpetuæ edat, atque ea ætate sit, ut extra probabile periculum incontinentiae esse videatur. Habetur in Concil. Agathensi c. 16. & in jure c. 1. c. cum sit c. conjugatus. c. uxoratus de conversat. conjugat. & sumitur ex verbis Christi Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c.*

III. Quod si remanens in sæculo nolit (uti ⁴⁰⁹
que

que non sine peccato, cum dandò licentiam se ad id tacitè obligarit) ingredi Religionem, cum sit juvenis, aut vovere continentiam, cum sit senex, professio quidem alterius valida erit, remanens tamen in sæculo ad Religionem, vel votum cogi non poterit; imò si in periculo incontinentiæ versetur, debet Episcopus conjugem professum uxori periclitanti restituere ad reddendum debitum tantum; nam petere non poterit, & mortua uxore vel votum continentia tandem emittendæ, statim ad suam Religionem reverti debet. Omnia ex jure & communi, Sanchez l. 5. tract. 10. part. 3. c. 5. Pontius l. 9. c. 12. alii passim.

410 IV. Quòd si tandem conjux sine consensu alterius conjugis professus est, professio irrita est. Ut expressè habetur c. quidam. eodem titulo &c. Accedens. eodem. & communis DD. cum Sanchez disp. 35. Layman. num. 4. Unde talis nulliter professus ab uxore revocari poterit, imò & propria autoritate (amotò prudenter scandalo) ad conjugem reverti poterit, & debet: id etiam requirit justitia debiti conjugalis: neque mortua conjuge ad Religionem nulliter professam reverti obligabitur; uti respondit Pontifex c. quidam. eodem. Addens tamen, talem invita conjuge nulliter professum, illà mortuà, alias nuptias contrahere non posse, & consequenter, nec ea vivente debitum petere. Ratio est; quia præsumptio est, quòd vovens voluerit se obligare eo modo, quo potuit: atqui maritus irrita

invita uxore, se obligare potuit ad hæc duo: & non petere debitum, & post mortem continentiam servare, quæ ambo includuntur in professione; ideo præsumptio juris est, quod saltem hæc duo promittere voluerit maritus, si ejus professio valeret, quæ tamē præsumptio in conscientia foro veritati cedere debet, si reverà non fuit animus vovendi castitatem, nisi dependenter à Religionē: & certè communi more emittendi professionem, semper intendit profitens vovere castitatem Religioni annexam tantum. Ut benè notant Layman n. 4. *in fine.* Pontius l. 9. c. 11. num. 4. et si strictius loquatur Sanchez. cit. cum Diana part. 6. tract. 7. num. 51.

II. Per susceptionem Ordinis Sacri.

Similiter solvitur matrimonium quoad to-
rum, quando maritus de licentia & consensu libero uxoris sacros Ordines suscipit, validè & licitissimè. Ut habetur iisdem juribus supra allegatis: iisdem tamen etiam servatis conditionibus, nimirum ut uxor & ipsa prius Religionem profiteatur, aut si sit senex & de incontinentia non suspecta, emittat votum simplex castitatis: quod licet simplex votum sit, tamen hoc habet peculiare, ut, si ipsa post mortem conjugis jam ordinati aliud matrimonium contrahat, invalidè contrahat; eo quod Ordini Sacro ea debeat reverentia, ad quem licentiam dedit (et si secus sit, si dedit licentiam ad professionem Religionis) Ita communissima cum Sanchez l. 7. disp. 30. Azor part. 1. l. 3. c. 14. affirmat, esse omnium, et si

perneget Pontius l. 7. c. 25. asserens par esse
trumque votum, & neutrum matrimonium di-
rimere. Illud autem speciale Decretum est. *ne. De convers. conjugator*: Ut conjugatus ad
Episcopalem dignitatem non assumatur, nisi
uxor Religionem ingredi consentiat. De quo
Sanchez *disp. 41. Layman num. 6. alii.*

Rursus, si uxor, marito jam ordinato, Reli-
gionem ingredi, aut votum castitatis emittere
nolit, Sanchez l. 7. *disp. 39. num. 13. censet de-*
bere cogi ad votum, cum ad hoc emittendum se
obligarit, dando liberè licentiam, ut ad sacros
Ordines ascendat. Castro-Palaus autem cum
Tambur. *tract. 7. c. 4. §. 2. negat posse cogi*; cum
nemo unquam invitus cogi possit ad votandum
castitatem; sed debere ei suum virum relinqui,
ut suprà de professione dictum.

Denique si sine licentia uxoris sacros Ordines
suscepit, etli validè suscepit, attamen peccavit
mortaliter, & incurrit suspensionem juris seu
irregularitatem. *Extrav. antiqu. De voto. Un-*
de neque in Ordine suscepto ministrare, neque
ad altiores Ordines promoveri, neque Beneficium
vel officium Ecclesiasticum obtinere poterit.
Unde ulterius à conjugate revocari, & revocatus
redire, ac debitum reddere, non tamen petere
poterit ob annexum sacro Ordini votum casti-
tatis; at non revocatus redire non tenetur: posse
tamē redire æquè ac suprà nulliter professos, do-
cent citati; cum par si ratio, quamvis enim illa
professio sit nulla, hic verò Ordo sit validus eadē
cāra

tamen est obligatio reddendi debitum uxori, idemque jus uxoris iniquè violatum.

III. *Porum simplex castitatis.*

Licet & sanctè matrimonium quoad torum⁴¹² solvunt, si ambo conjuges mutuo consensu castitatem voveant: cujus rei comendata exempla plurima reperire est apud sanctos Patres & Historicos sacros; Quamvis propter incontinentiæ periculum consultum non sit conjugibus continentiam vovere, nisi præmissâ maturâ deliberatione & longâ probatione, quod facile continere ambo possint, atque post editum votum toro seu lecto eos separari omninò oportet: quia non benè concubat ignis cum stipula. Putant aliqui olim per votum simplex castitatis etiam solutum fuisse matrimonium ratum quoad vinculum, exemplo S. Theclæ, S. Alexii, & aliorum; sed dicendum, illos suam compartem deseruisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti. Ut dicit Innocentius III. c. *Ex parte, eodem titulo.*

IV. *Per electionem continentia.*

Si conjuges, ut melius Deo serviant, vel ne proles supra facultates eorum multiplicetur,⁴¹³ mutuo consensu in perpetuum vel ad certum tempus toro se separent, nullo edito voto, licite est ejusmodi separatio, dummodò ex simili causa justa, non ex odio vel ira fiat. Ut notat Layman cit. c. 7. num. 1. Quamdiu incontinentiæ periculum alteri non imminet, sicut colligitur

ex Apostolo, 1. ad Corinth. 7. Nolite fraudari
 invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacet
 orationi & iterum revertimini in idipsum, ut
 tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.

Petes tandem incidenter: Quid si quis ritè
 uxoratus deinde ob impedimentum importu-
 ritæ perpetuæ creditæ Professionem emisit: vel
 sacros Ordines suscepit: & postea appareat, eum
 esse potentem: Quid faciet? Redirene poterit,
 & debet ad uxorem: q. Diana part. 11. tract.
 5. resol. 7. & Tambur. cit. §. 3. in fine. posse
 debere redire; quia prævalet validitas matrimo-
 nii ritè suscepta. Lege curiosè Dianam ibidem
 multa huc facientia latè prosequentem.



CAPUT II.

De Obligatione & Peccatis
 Sponsorum & Conjugum.

SECTIO I.

De Peccatis Sponsorum.

SUMMARIA.

- 415. Mortaliter peccat promittens sponsalia fidei.
- 416. Vel fraudulenter.
- 417. Non tamen obligatur.
- 418. Per se loquendo & in foro conscientie.
- 419. Qui verò ritè contraxit sponsalia, tenetur sub mortali
 ad contrahendum matrimonium.
- 420. Tempore ab ipsis præscripto.